DE POLYBII OLYMPIADUM RATIONE
ET
DE BELLO PUNICO PRIMO
QUAESTIONES CHRONOLOGICAE.

DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAM
AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
AB AMPLISSIMO
PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI
RITE IMPETRANDOS
SCRIPSIT

OSCARUS SEIPT
BRUNNENSIS.

LIPSIAE
TYPIS IULII KLINKHARDTI
MDCCCLXXXVII.

CURTIO WACHSMUTH

SACRUM.

De Polybii olympiadum ratione.

Polybii olympiades quando inceperint nondum esse certum norunt, qui hac in re operam collocaverunt. Quamquam enim viri docti intra hos sedecim annos multas de Polybii olympiadum ratione protulerunt opiniones, tamen quaestio ipsa ad certum finem non videtur esse perducta. Nam eorum sententiae ita inter se discrepant, ut possitne omnino verum cognosci dubitatio moveatur.

Fundamentum huius quaestionis iecit Nissenius commentatione illa bonae frugis consuetique acuminis plena, quam scripsit de Polybii oeconomia.[1]) Qui refutata magna cum sagacitate Schweighaeuseri sententia, qui quidem hac de re in adn. ad IV 4, 9 disputavit, ipse docet anni Polybiani initium in eis libris, in quibus res Graecae describantur, ponendum esse Kalendis Octobribus, ubi aliorum populorum facta enarrentur, inter aequinoctium autumnale et brumam. Quam Nissenii sententiam non amplexus Steigemannius in dissertatione, cui inscripsit 'de Polybii olympiadum ratione'[2]), olympiadem demonstrare conatus est a media aestate, quo tempore Olympia agebantur, usque ad eundem quinti astronomici anni terminum pertinere ita tamen, ut singuli olympiadis anni primo excepto semper ab hiemis principio h. e. fere a Pleiadum occasu[3]) ordiantur, sed mihi quidem non persuasit.

Neque Ungero, quae Nissenius enucleavit, videntur esse probabilia. Nam putat[4]) in libris Polybii, qui integri ad

---

[1]) cf. Mus. Rhen. XXVI p. 250 sq.

[2]) Diss. Bresl. 1885, p. 17.

[3]) III. Idus Novembres.

[4]) phil. XXXIII p. 234 sq.; *Sitz.-Ber. d. B. Akad. d. Wiss. 1879, p. 119;* 'Zeitrechnung der Griechen und Römer' (cf. I. Muelleri *Handb. d. class. Alt. I p. 604*).

nos pervenerunt, olympiades incipere a tempore, quo agebantur Olympia[1]), in deperditorum reliquiis a Vergiliarum occasu, cuius iudicio vereor subscribere, quamquam acriter meditatus hac de re protulit et gravia et utilia nonnulla. Sed nuperrime Nissenius ipse putandus est rem denuo examinasse et perpendisse; namque prorsus novam sententiam Mus. Rhen. volumine XL. publico iudicio proposuit, ex qua nova lux obscurae quaestioni affulgere videtur.

Ipsis enim certaminum Olympiorum temporibus Polybium singularum docet adaptasse olympiadum initia. Totius igitur quaestionis cardo versatur in ipso uniuscuiusque certaminis Olympii tempore definiendo. Nam cum Olympia non certo quodam semperque eodem die, sed mense modo Sextili modo Septembri acta esse e schol. ad Pindari Ol. III 33 recte conclusisse videatur Nissenius, de toto semper mense incerti sumus, cuius rei haec est causa. Octaeteris quae dicitur undecentum mensium longior fuit quam octo solis anni uno die atque dimidio, unde fiebat, ut Olympia magis magisque procurrerent in autumnum. Quod inter lunae et solis cursum discrimen post cyclum centum sexaginta annorum peractum removebatur omisso uno mense intercalari, itaque singularum olympiadum initia definienda sunt duplici dierum notitia.

Ex hac Olympiorum temporis ratione diversa Olympiadum initia, quae apud Polybium esse statuenda omnes viri docti consentiunt, optime possunt explicari.

Computavit autem Nissenius secundum illam intercalandi rationem, qua octaeteris adaptatur octo solis annis, olympiadum inde a 140 usque ad 149 initia et hunc dedit conspectum:

ol. 140	IX. Kal. Sept.	IX. Kal. Oct.
ol. 141	III. Id. Sext.	V. Id. Sept.
ol. 142	VII. Kal. Sept.	VIII. Kal. Oct.
ol. 143	Pridie Id. Sext.	III. Id. Sept.
ol. 144	VI. Kal. Sept.	VII. Kal. Oct.

[1]) haec secundae post solstitium candentis et plenae lunae tempore i. e. mense Sextili vel extremo Quinctili acta esse perverse docet: cf. phil. XXXIII p. 228 sq.

ol. 145	Id. Sext.	III. Id. Sept.
ol. 146	IV. Kal. Sept.	VI. Kal. Oct.
ol. 147	XVIIII. Kal. Sept.	Id. Sept.
ol. 148	III. Kal. Sept.	IV. Kal. Oct.
ol. 149	XVII. Kal. Sept.	XVIII. Kal. Oct.

Illae igitur quas Polybius complectitur in rebus gestis enarrandis olympiades a diebus supra scriptis incipiunt ex astronomica computandi ratione.

Utra vero dierum series commendetur Polybii narratione significavit potius quam exposuit vir praeclarissimus, cum duo tantum protulerit exempla, ex quibus posteriorem seriem convenire cum Polybii temporum ratione videatur apparere.

Quae cum ita sint, nescio an non inutile sit in hanc de Polybii olympiadum ratione quaestionem iam saepius tractatam denuo inquirere, ita ut omnibus ubi a Polybio commemorantur olympiades locis collatis atque examinatis, quemadmodum illi dies astronomica computatione definiti congruant cum temporibus a Polybio significatis exponamus.

Sed valde dolendum, quod haud magnam huic quaestioni materiem suppeditat Polybius, qua ipsa exiguitate videtur factum esse, ut non in unum coeant virorum doctorum sententiae. Neque enim faciunt multum, quae in fragmentis leguntur. E servatis autem libris III. IV. V. soli aliquid valent, quod olympiadem 140 continent, unde multum bonae frugis redundat. Unius tantum olympiadis commemorationem exhibet primus liber, ex qua sola nihil colligere licet. Neque secundi libri c. 41, 1. 11[1]); c. 76, 6 quidquam praestant, unde aliquid lucri facere possimus.

Proficiscimur igitur in Polybii olympiadum ratione enucleanda a tertio libro, cuius narrationem Polybius incipit ab anno 533 u. c.

Nam haud paucis supra praemissis sic pergit c. 13, 5 *Ἀννίβας δὲ παραλαβὼν τὴν ἀρχὴν εὐθέως ὥρμησεν ὡς καταστρεψόμενος τὸ τῶν Ὀλκάδων ἔθνος*, quae verba non possunt referri ad annum 534 u. c. Itaque mirifice lapsus est iudicio

---

[1]) numeri indicant Hultschianae editionis singulas paragraphos.

Steigemannius (l. c. p. 10), qui ab hoc anno vel ab ol. 140 docet incipere tertii libri narrationem. Sed in errorem videtur inductus esse c. 1, 11 *περὶ ὧν ἀπὸ τῆς ἑκατοστῆς καὶ τετταρακοστῆς ὀλυμπιάδος ἀρξάμενοι τοιάνδε τινὰ ποιησόμεθα τὴν ἔφοδον τῆς ἐξηγήσεως*, quibus cave ne nimium tribuas, nam anni 534 u. c. res gestae c. 14 demum explicantur.

In huius libri rebus gestis enarrandis ita versatur Polybius, ut uniuscuiusque fere anni et hiberna et id quo Romani educebant exercitus tempus simpliciter commemoret neque res paulo distinctius definiat. Non igitur mirum, quod in tanta libri magnitudine inveniuntur sola temporis definiendi adminicula haec:

Referenda sunt ad annum 533 u. c.

c. 13, 8 *Ἀννίβας ἧκε παραχειμάσων εἰς καινὴν πόλιν*;

ad annum 534 u. c.

c. 14, 1 *τῷ δ' ἐπιγινομένῳ θέρει πάλιν ὁρμήσας*;

ad annum 535 u. c.

c. 16, 7 *Ῥωμαῖοι μὲν ὑπὸ τὴν ὡραίαν Λεύκιον τὸν Αἰμίλιον ἐξαπέστειλαν κατὰ τὸ πρῶτον ἔτος τῆς ἑκατοστῆς καὶ τετταρακοστῆς ὀλυμπιάδος*, quod Ungerus docet[1]) factum esse mense Quinctili, et

c. 33, 5 *Ἀννίβας παραχειμάζων ἐν καινῇ πόλει*;

ad annum 536 u. c.

c. 34, 6 *συνῆγε τὰς δυνάμεις ἐκ τῆς παραχειμασίας ὑπὸ τὴν ἐαρινὴν ὥραν*;

ad annum 537 u. c.

c. 77, 1 *ἐνισταμένης δὲ τῆς ἐαρινῆς ὥρας Γάιος μὲν Φλαμίνιος ἀναλαβὼν τὰς αὑτοῦ δυνάμεις προῆγε διὰ Τυρρηνίας.*

c. 77, 3 *Ἀννίβας δὲ παραχειμάζων ἐν τῇ Κελτικῇ.*

c. 78, 6 *ἅμα τῷ τὴν ὥραν μεταβάλλειν.*

c. 105, 11 *οἱ Καρχηδόνιοι — λοιπὸν ἤδη πρὸς τὴν χειμασίαν ἀσφαλῶς ἡτοιμάζοντο*;

ad annum 538 u. c.

c. 107, 1 *τὸν μὲν οὖν χειμῶνα καὶ τὴν ἐαρινὴν ὥραν διέμειναν ἀντιστρατοπεδεύοντες ἀλλήλοις.*

1) *Jahrb. f. class. Philol.* 1884. p. 543.

Quibus omnibus si nil aliud at hoc saltem effecit Polybius, ut res possint tribui singulis annis. Sed olympiadum rationem inde cognoscere non licet. Neque e c. 16, 7 quidquam lucramur, ubi commemoratur olympiadis 140 primus annus. Nam nil certi de eius initio dici posse unusquisque primo statim obtutu videbit.

Sed alterius fit mentio olympiadis c. 118, 10 *διόπερ ἡμεῖς ταύτην μὲν τὴν βύβλον ἐπὶ τούτων τῶν ἔργων καταστρέψομεν, ἃ περιέλαβεν Ἰβηρικῶν καὶ τῶν Ἰταλικῶν ἡ τετταρακοστὴ πρὸς ταῖς ἑκατὸν ὀλυμπιάσι δηλώσαντες.* Extremo libro describitur pugna Cannensis, quam verba c. 107, 1 testantur commissam esse messis tempore vel mense Iunio. Neque quia initio Polybius ab anno 533 u. c., non ut promiserat ab anno 534 u. c. est exorsus, propterea etiam in fine tempori commemorato minor fides est habenda. Itaque olympiadem 140 ad finem pervenire mense fere Quinctili e verbis puto apparere. Atque hoc quidem tempus non videtur prorsus congruere cum III. Id. Sext. — namque alterum diem (V. Id. Sept.), in quem posset incidere olympiadis finis, hic non quadrare e modo dictis fit consentaneum — quo die ex astronomorum computatione fuit olympiadis 140 finis. Sed inter hanc et Polybii rationem semper intercedere parvum discrimen e sequentibus quoque apparebit. Qua in re offendendum esse nego, nam his in quaestionibus perpendendis consensum omnibus numeris absolutum raro inveniri constat.

Maiorem materiae copiam libri IV. V. suppeditant, quibus continentur res Graecae olympiade 140 gestae. Hic rursus Polybius initio eorum, quae sibi tractanda proposuerat, parum sibi videtur esse constans. Nam e c. 1, 3 *νῦν δὲ τὰς Ἑλληνικὰς διέξιμεν πράξεις τὰς κατὰ τοὺς αὐτοὺς καιροὺς ἐπιτελεσθείσας τοῖς προειρημένοις καὶ ἀπὸ τῆς ἑκατοστῆς καὶ τετταρακοστῆς ὀλυμπιάδος* Polybium ab olympiade 140 incepturum esse narrationem apparet, e sequentibus autem c. 15 *ταῦτα μὲν οὖν εἰς τὴν προτέραν ἔπεσεν ὀλυμπιάδα, τὰ δ᾽ ἑξῆς εἰς τὴν τετταρακοστὴν ἐπὶ ταῖς ἑκατὸν* illum usque ad c. 15 descripsisse olympiadis 139 res gestas colligitur.

Iam olympiadis 140 initium definire mihi videtur difficile

esse, idque imprimis propterea, quod nil concludere licet ex verbis IV 14, 9 *ταῦτα μὲν οὖν εἰς τὴν προτέραν ἔπεσεν ὀλυμπιάδα, τὰ δ' ἑξῆς εἰς τὴν τετταρακοστὴν ἐπὶ ταῖς ἑκατόν.* c. 26, 1 *τούτου δὲ τοῦ δόγματος κυρωθέντος κατὰ τὸ πρῶτον ἔτος τῆς ἑκατοστῆς καὶ τετταρακοστῆς ὀλυμπιάδος.* Sed proficiscendum est hac in re enucleanda a c. 7, 10 *τέλος δὲ πένθ' ἡμέραις πρότερον τοῦ καθήκοντος αὐτῷ χρόνου παραλαβὼν παρὰ τοῦ Τιμοξένου τὴν δημοσίαν σφραγῖδα,* ubi Aratus quinque diebus ante mensem Maium narratur munus iniisse, quo tempore Achaei tum creabant magistratus (VI 37, 2; V 1). Quae enim capitibus 7—15 describuntur res quantum complectantur temporis spatium si cognoverimus, habebimus quod quaerimus initium. Sunt autem hae:

Cum Aratus magistratu inito Achaeorum iuventutem iussisset convenire Megalopolim, ibi Messenii ut in societatem reciperentur omnibus precibus petentes hoc unum impetrarunt, ut illis bellum inferre vetarentur Aetoli. Hi statim e Messenia in Elidem profecti, cum Aratum milites paucis exceptis dimisisse audissent praeda in navibus coacervata Methydrium in Arcadiae oppidum castra removerunt ad dimicandum admodum propensi. Nec multo post cum Achaeis congressi eos gravi proelio prorsus vicerunt. Post hanc victoriam cum Pellenen frustra obsedissent, Sicyonia devastata domum redierunt. Deinde Polybius c. 13, 6 pergit: 'haec belli socialis erat causa quod inceperunt ex omnium sociorum decreto[1]); Achaei

---

[1]) c. 13, 6. 7 *τὴν μὲν οὖν αἰτίαν καὶ τὴν ἀφορμὴν ὁ συμμαχικὸς πόλεμος ἔσχεν ἐκ τούτων, τὴν δ' ἀρχὴν ἐκ τοῦ μετὰ ταῦτα γενομένου δόγματος ἁπάντων τῶν συμμάχων, ὃ συνελθόντες εἰς τὴν τῶν Κορινθίων πόλιν ἐπεκύρωσαν διαπρυτανεύσαντος τὸ διαβούλιον Φιλίππου τοῦ βασιλέως.* Hanc contionem Philippo praeside aliam fuisse atque Achaeorum sequentem inde apparet (cf. Dubois 'les ligues étolienne et achéenne' p. 72 et 132, *Bibliothèque des écoles françaises d'Athènes et de Rome*, fasc. 39. 1884) quod hic agitur de omnium sociorum communi decreto. Qui socii fuerint e IV 9, 3 sq. cognoscitur, ubi Achaei causas proferunt, cur Messenios non recipiant in societatem *οὐ φάσκοντες δυνατὸν εἶναι χωρὶς Φιλίππου καὶ τῶν συμμάχων οὐδένα προςλαβεῖν (ἔτι γὰρ ἔνορκος ἔμενε πᾶσιν ἡ γεγενημένη συμμαχία δι' Ἀντιγόνου κατὰ τοὺς Κλεομενικοὺς καιροὺς Ἀχαιοῖς Ἠπειρώταις Φωκεῦσι Μακεδόσι Βοιωτοῖς Ἀκαρνᾶσι Θετταλοῖς)* quae omnia accuratius II 47 sq.

autem nonnullis diebus post cum in contionem convenissent cladis auctorem reum fecerunt Aratum, qui tamen culpa liberatus tantam adeptus est potentiam, ut omnia decernerentur ex eius sententia'. Secuntur verba c. 14,9 *ταῦτα μὲν οὖν εἰς τὴν προτέραν ἔπεσεν ὀλυμπιάδα, τὰ δ' ἑξῆς εἰς τὴν τετταρακοστὴν ἐπὶ ταῖς ἑκατόν.*

Illae res quantum temporis expleverint spatium accuratius quidem non licet statuere, tamen complexas esse tres fere menses quovis pignore adfirmaverim. Incidit igitur olympiadis 140 initium in eum mensem, qui efficitur si Maio tres menses adnumeramus, id est in mensem Sextilem.

Ad quod tempus conveniantne quae secuntur iam erit quaerendum. Atque idoneam praebent ansam verba c. 27, 1 *κατὰ δὲ τοὺς αὐτοὺς καιροὺς Αἰτωλοὶ συνάψαντος τοῦ τῶν ἀρχαιρεσίων χρόνου στρατηγὸν αὐτῶν εἵλοντο Σκόπαν*, quod Aetolorum creabantur magistratus post aequinoctium autumnale vel Kalendis fere Octobribus. Unde computando regrediendum est usque ad c. 14, 9 quibus capitibus haec describuntur:

Achaei cum legatos auxilium postulatum ad socios misissent, quod negaverant Epirotae et Philippus, soli aggressi sunt Aetolos, qui eis bellum inferre statuerant.

Eodem tempore Pylum oppugnabant frustra Illyrii, quorum pars Scerdilaedo duce Naupactum profecta se adiunxit Aetolis. Qui cum una incurrissent in Achaiam, Cynaitha capta domum redierunt.

Eodem tempore Aratus convenire iussit Lacedaemoniorum et Messeniorum copias et rursus a Philippo petivit auxilium. Taurio autem Demetrium Pharium, qui ad Cenchreas castra posuerat, ut auxilium ferret Achaeis admonuit, qui navibus Isthmum transportatis cupiebat quidem quominus Aetoli redirent impedire, sed ut Philippus serius advenit.

---

explicantur. Contra in Achaeorum contione c. 14, 1 sq. descripta legatos mittere decernunt ad Epirotas, Boeotios, Phocenses, Acarnanes, Philippum. c. 13, 6. 7 igitur obiter tanguntur, quae c. 22, 2; 25. 26 narrantur quam accuratissime. Itaque nullo modo assentiri possum Klattio (cf. 'Chronol. Beiträge zur Geschichte des achäischen Bundes' p. 30 adn. 2) qui verba c. 13, 6. 7 etiam ad c. 14, 9 referenda esse putat. Dicit enim 'Polybius erwähnt c. 14 die neue Olympiade, waehrend diese Erwähnung besser nach c. 25 gehoeren wuerde', quibus verbis videtur indicare olympiadis 140 primum annum incipere a mense Octobri.

Deinde missis, qui socios ad contionem convocarent, Philippus se contulit Tegeam ad Lacedaemoniorum rempublicam pacandam, unde rediit Corinthum. Ubi cum socii congressi bello persequi Aetolos statuissent, rex ut bello moram afferret clam ad eos litteras misit, sed Aetoli se nil decernere posse responderunt ante contionem habitam, in qua paulo post Scopam creaverunt ducem Kalendis Octobribus.

Has res Ungerus recte cognovit[1]) non excessisse duorum mensium spatium. Ita necessario eo deducimur, ut olympiadis 140 initium duobus mensibus ante Kalendas Octobres id est in mense Sextili ponamus, qua re simul ea confirmantur, quae supra de olympiadis 140 initio diximus.

E Polybii igitur narratione olympiadem 140 mense Sextili apparet incepisse, quod comprobabunt astronomi, qui quidem IX. Kal. Sept. computaverunt.

Olympiadis 140 finis luculenter cognoscitur e V 111, 9 *ἡμεῖς δὲ νῦν μὲν ἐπὶ τούτων τῶν καιρῶν τῆς διηγήσεως λήξομεν, ἐπεὶ διεληλύθαμεν ἃς περιέσχε τῶν τε κατὰ τὴν Ἀσίαν καὶ τῶν Ἑλληνικῶν πράξεων ἡ τετταρακοστὴ τῶν ὀλυμπιάδων πρὸς ταῖς ἑκατόν.* Quintum librum Polybium finiturum fuisse pugnae Cannensis tempore e c. 105, 10 apparet. Quod comprobatur et rebus sequentibus et ipsius huius pugnae commemoratione c. 111, 8. Finem igitur olympiadis 140 — nam messis tempore commissam esse pugnam Cannensem iam commemoravimus — si eodem modo atque supra (p. 9) statuimus incidisse in mensem Quinctilem, haud a vero aberrabimus. Quae iam vidimus quomodo congruant cum astronomorum computatione.

Iam ut singulos percurram olympiadis 140 annos, primus quando ad finem pervenerit, satis diserte indicatur IV 66, 7—67, 1 *Φίλιππος τοὺς μὲν Μακεδόνας διαφῆκε πάντας ἐπὶ τὴν τῆς ὀπώρας συγκομιδήν, αὐτὸς δὲ πορευθεὶς εἰς Θετταλίαν τὸ λοιπὸν μέρος τοῦ θέρους ἐν Λαρίσῃ διῆγεν.*

κατὰ δὲ τὸν καιρὸν τοῦτον Αἰμίλιος ἐκ τῆς Ἰλλυρίδος εἰσῆγε λαμπρῶς εἰς τὴν Ῥώμην τὸν θρίαμβον, Ἀννίβας δὲ Ζάκανθαν ᾑρηκὼς κατὰ κράτος διέλυσε τὰς δυνάμεις εἰς παραχειμασίαν.

[1]) phil. XXXIII p. 243.

καὶ τὸ μὲν πρῶτον ἔτος ἔληγε τῆς ὑποκειμένης ὀλυμπιάδος, παρὰ δὲ τοῖς Αἰτωλοῖς ἤδη τῶν ἀρχαιρεσίων καθηκόντων στρατηγὸς ᾑρέθη Δωρίμαχος.

Itaque eum Kalendis Octobribus finiri, quo tempore magistratus creabant Aetoli, e toto sententiarum conexu apparet.

Hanc autem ratiocinationem non agnoscit Ungerus. Incredibiliter enim vexat illa Polybii verba satis dilucida, ut huius anni finis secundum eius sententiam supra expositam in XIX. Kal. Sept. incidat, qui tum erat secundae post solstitium candentis et plenae lunae dies[1]). Atque mirus sane his in verbis explicandis priore sententiae parte *καὶ τὸ μὲν πρῶτον ἔτος ἔληγε τῆς ὑποκειμένης ὀλυμπιάδος* antecedentia putat absolvi, sequentibus verbis *παρὰ δὲ τοῖς Αἰτωλοῖς ἤδη τῶν ἀρχαιρεσίων καθηκόντων στρατηγὸς ᾑρέθη Δωρίμαχος* enarrari primam proximi anni rem memoria dignam, quae tamen non sit tribuenda primis novi anni diebus.

Quam sententiam quominus approbemus iam antecedentia impediunt verba *Φίλιππος — τὸ λοιπὸν μέρος τοῦ θέρους ἐν Λαρίσῃ διῆγεν*, quod aestatem Polybius (V 5, 5—7) ipse docet desinere, quo tempore flare desinunt etesiae.

Quod cum fiat extremo mense Sextili[2]), vide quam misere corruat Ungeri ratiocinatio. Sed ut sententiam fulciat, ille vir doctus verba *καὶ τὸ μὲν πρῶτον ἔτος ἔληγε τῆς ὑποκειμένης ὀλυμπιάδος* non ad antecedentia *τὸ λοιπὸν μέρος τοῦ θέρους* refert, sed ad verba *ἐπὶ τὴν τῆς ὀπώρας συγκομιδήν.* Nam verba *κατὰ δὲ τὸν καιρὸν τοῦτον* quippe quibus minimum, non permagnum temporis spatium significetur, referenda esse autumat non ad verba *τὸ λοιπὸν μέρος τοῦ θέρους* sed ad verba *ἐπὶ τὴν τῆς ὀπώρας συγκομιδήν*, quibus punctum temporis exprimitur. Praeterea *καιροὶ* vel *χρόνοι* Polybium scripturum fuisse si significare voluisset longius tempus.

Quae omnia plane sunt improbabilia. Nam neque *καιρὸς* minimi neque *καιροὶ* permagni temporis notionem habet

---

1) phil. XXXIII p. 243.

2) Columella, de re rust. XI 2, 56: 'Kalendis Augustis etesiae', XI 2, 58: 'III. Kal. Sept. umeri Virginis exoriuntur. Etesiae desinunt flare et interdum hiemat'.

(IV 36, 7—37, 1 V 1, 3), nec *κατὰ τὸν καιρὸν τοῦτον* ut satis constat quidquam significat nisi 'his fere temporibus'.

Aliorum vero populorum res, quas Polybius inseruit huic narrationi, quando sint gestae si quaerimus, prorsus ad irritum redigitur Ungeri sententia. Primum triumphi mentio spectat ad verba *τὸ λοιπὸν μέρος τοῦ θέρους*, illum enim Polybius III 19, 12 docet actum esse exeunte aestate. Tum verba *Ἀννίβας δὲ Ζάκανθαν ᾑρηκὼς κατὰ κράτος διέλυσε τὰς δυνάμεις εἰς παραχειμασίαν* discrepare cum sua sententia ipse videtur sensisse Ungerus. Nam eam obsidionem quae Polybio teste III 17, 9 duravit octo per menses, ne mensis Sextilis finem excedat, opinatur coepisse a mense Ianuario. Sed nil valet IV 28, 1 quem locum ad sententiam confirmandam profert. Ibi enim sermo est de eis, quae ad obsidionem necessaria erant, adparandis; eam ipsam e III 17, 1 sq. IV 37 cognoscitur coepisse ineunte vere.

Videmus igitur, cum hae quoque res non ante aestatis finem vel mensem Sextilem exactum gestae sint, comprobari ea, quae supra de temporum ratione exposuimus.

Pergo ad tertii anni finem definiendum, quem item puto fuisse Kalendis fere Octobribus: cf. V 105, 3 *ταῦτα δὲ πάντα συνέβη γενέσθαι κατὰ τὸν τρίτον ἐνιαυτὸν τῆς ἑκατοστῆς καὶ τετταρακοστῆς ὀλυμπιάδος, λέγω δὲ τὴν τῶν Ῥωμαίων περὶ Τυρρηνίαν μάχην καὶ τὴν Ἀντιόχου περὶ κοίλην Συρίαν, ἔτι δὲ τὰς Ἀχαιῶν καὶ Φιλίππου πρὸς Αἰτωλοὺς διαλύσεις.*

Nemeis enim intererat Philippus, quae anno 537 u. c. Ungerus demonstravit[1]) acta esse extremo mense Quinctili, cum nuntio pugnae ad lacum Trasumennum[2]) allato Demetrius Pharius ei statim suaderet, ut desisteret a bello cum Aetolis gesto (V 101, 5 sq.).

Narrantur (V 101, 6—105, 3) deinde pacis condiciones et aliae res, quas omnes Ungerus[3]) pro certo affirmat non excessisse XII. Kal. Sept., in quem tum incidit secundae post solstitium candentis et plenae lunae dies. Sed e sententiae suae ratione eum computasse hunc terminum nemo non videt. Illas autem

---

[1]) *Sitz.-Ber. d. B. Acad. d. Wiss.* 1879, p. 119.

[2]) ita enim scribendum esse docet Ritschelius opusc. III p. 7, 14.

[3]) phil. XXXIII p. 245.

pacis condiciones Nissenius et Steigemannius putant convenisse mense Septembri, quod quidem licet concludere e Polybii narratione. Sed anni finis paulo accuratius definiri potest, dummodo indagetur quando inceperit olympiadis 140 quartus annus. Ad hunc c. 105, 3 sequentia pertinent, ubi paucis de Romanorum auctoritate praemissis haec leguntur (c. 106, 1) *Ἀχαιοὶ μὲν οὖν ὡς θᾶττον ἀπέθεντο τὸν πόλεμον, στρατηγὸν αὑτῶν ἑλόμενοι Τιμόξενον.*

Qui quando sit creatus e sequentibus perspicitur. Nam postquam de Peloponnesiis Ptolemaeo Antiocho verba fecit, hisce pergit Polybius c. 107, 5 *Αἰτωλοὶ δὲ παραυτὰ μὲν εὐδοκοῦντες τῇ γενομένῃ διαλύσει πρὸς τοὺς Ἀχαιοὺς ὡς ἂν μὴ κατὰ γνώμην αὐτοῖς τοῦ πολέμου προκεχωρηκότος (διὸ καὶ στρατηγὸν Ἀγέλαον εἵλοντο τὸν Ναυπάκτιον δοκοῦντα πλεῖστα συμβεβλῆσθαι πρὸς τὰς διαλύσεις) — δυσηρέστουν*, quod scimus factum esse Kalendis fere Octobribus. Eodem igitur tempore creatum esse Achaeorum magistratum apparet. Itaque quartus olympiadis 140 annus incipit a Kalendis Octobribus, desinit tertius item Kalendis Octobribus.

Iam singulis olympiadis 140 annis quoad fieri potuit definitis, quae hucusque disputavi, paucis comprehendenda esse arbitror, ut facillime perspiciatur, quid inde fecerimus lucri:

I. e primo et secundo libro nihil de olympiadum tempore constat.

II. e tertio libro olympiadem 140 cognoscitur desinere mense Quinctili (secundum astronomorum computationem III. Id. Sext.).

III. in quarto et quinto libro
  a) olympias 140 incipit a mense Sextili (sec. ast. comput. IX. Kal. Sept.), ad finem venit mense Quinctili (sec. ast. comput. III. Id. Sext.);
  b) Kalendis Octobribus finiuntur olympiadis 140 primus et tertius annus; item
  a Kalendis Octobribus incipit olympiadis 140 quartus annus.

Si olympiadis 140 primus annus desinit Kalendis Octobribus, eiusdem olympiadis secundum consentaneum est incipere ab eodem tempore. Habemus igitur hunc olympiadis 140 conspectum:

1. m. Sext. —	Kal. Oct.
2. Kal. Oct. —	
3.	Kal. Oct.
4. Kal. Oct. —	m. Quinct. (m. Sext.).

Quibus consideratis mihi quidem non est dubium, quin olympiadis 140 singuli anni excepto initio primi et quarti exitu currant a Kalendis Octobribus usque ad eundem proximi anni diem, totius autem olympiadis et initium et finis congruat cum temporibus ab astronomis computatis et primae quidem seriei (p. 6). Tali autem inconstantia cur usus sit Polybius, ex ipsa re fit manifestum. Incerta enim olympiadum initia, quod modo mense Sextili modo Septembri agebantur Olympia, putanda sunt quam gravissimas rerum scriptoribus praebuisse difficultates. Quas profecto videtur perspexisse Polybius, cum ad res singulis annis attribuendas adhibet non tam olympiades quam singularum civitatum magistratus, ita ut admodum sit rara rerum ex Olympiadum ratione dispositio. Sed illae difficultates facillime potuerunt tolli, dummodo singulorum annorum initia adcommodarentur ad aestatis finem. Quod fecit Polybius in rerum Graecarum quam continent quartus et quintus liber narratione, praesertim cum magistratuum et Achaeorum et Aetolorum anni currerent a Kalendis Octobribus usque ad eiusdem mensis Kalendas[1]).

Achaeorum igitur anno adcommodavit singulos olympiadis annos neque tamen totius olympiadis rerum initium et finem mutavit, sed in his rationem habet ipsorum Olympiorum temporis. Hanc ad novam olympiadum rationem instituendam praeterea videtur esse adductus, quod ut recte Nissenius

[1]) Achaeorum magistratus inde ab olympiadis 140 quarto anno V 106, 1 docet creatos esse Kalendis Octobribus, qui dies in usu fuit usque ad Polybii aetatem. Cui rei argumento est, quod ubi de magistratibus mense Maio creatis dicitur, vocabulo τότε adposito significatur temporis praeteriti usus (IV 37, 1 V 1, 1).

monet[1]) ipse erat Achaeus fontesque adibat[2]) Achaeorum, qui tum inter Graecos obtinebant principatum.

His rebus expeditis iam adgrediamur ad alteram disputationis partem, qua investigaturi sumus Olympiadum in Polybii fragmentis traditarum initia. Atque ut certo nitatur fundamento haec quaestio, primum mihi videtur esse enarrandum, qua ratione in libros distribuerit Polybius singulas olympiades, qua de re tanta sagacitate tamque eximia doctrina disseruit Nissenius, ut quicunque post eum his rebus tractandis operam navaturus est, ei utendum sit illius potissimum auctoritate.[3])

Unicuique libro Polybium attribuisse binos olympiadis annos cognoscitur e IX 1, 1 *αἱ μὲν οὖν ἐπιφανέσταται πράξεις τῶν ὑπὸ τῆς προειρημένης ὀλυμπιάδος περιληφθεισῶν καὶ τοῦ τετραετοῦς διαστήματος, ὅ φαμεν δεῖν ὀλυμπιάδα νομίζειν, εἰσὶν αὗται. περὶ ὧν ἡμεῖς ἐν δυσὶ βιβλίοις πειρασόμεθα ποιεῖσθαι τὴν ἐξήγησιν*, quam quidem regulam tenet usque ad quartum decimum librum, unde novam ingreditur distribuendi viam.

Quae qualis fuerit verbis XIV, 1 a 5 *διὸ καὶ βουλόμενοι κατ' ἀξίαν τῶν ἔργων ποιήσασθαι τὴν ἐξήγησιν, οὐ τὰς ἐκ τῶν δυεῖν ἐτῶν πράξεις κατατετάχαμεν εἰς μίαν βύβλον, καθάπερ ἐν τοῖς πρὸ τούτων ἀποδεδώκαμεν* quamquam non satis diserte significatur, sed tamen apparet singulis libris non binos complecturum fuisse Polybium annos. Sed ab hac nova ratione recessit iam in sexto decimo libro, quem rursus continere duos olympiadis annos probatur excerptis antiquis una cum testimoniis et Stephani Byzantii (p. 930 edit. Hultsch.) et Athenaei (p. 954 edit. Hultsch.). Nec aliam distribuendi rationem sequitur in libris septimo decimo et duodevicesimo; inde autem admodum difficilis fit quaestio, quod desunt excerpta antiqua, quae usque eo adminiculum praebuerunt.

Sed ad olympiades ipsas ut transgrediar, earum initia accurate e fragmentis definire constat esse difficile, propterea

---

[1]) Mus. Rhen. XXVI p. 247.

[2]) *Krit. Unters. ueber d. Quellen d. IV. u. V. Dekade d. Livius* p. 106 adn. 1.

[3]) cf. *Krit. Unters.* p. 325; Mus. Rhen. XXVI p. 254 sq.

quod multa quae plurimum valerent ad tempus definiendum fortasse praeterierunt ac reliquerunt epitomatores. Neque enim scimus quae ante primum quod ad olympiadem spectat excerptum nunc desint, et ipsos Constantini excerptores Nissenius luculentis exemplis demonstravit[1]) et initio et in fine consulto Polybii verba mutilasse.

Ac primum quidem dicam de ol. 144, 4 initio, cui tribuit[2]) Nissenius haec Polybii verba XVI 24 *Φίλιππος ὁ βασιλεὺς τοῦ χειμῶνος ἤδη καταρχομένου, καθ' ὃν Πόπλιος Σολπίκιος ὕπατος κατεστάθη ἐν Ῥώμῃ, ποιούμενος τὴν διατριβὴν ἐν τοῖς Βαργυλίοις.*

Olympiadis 144 igitur quartum annum apparet incipere ab hieme ineunte, quod ad tempus bene conveniunt verba infra scripta *τοῖς κατὰ τὴν Μακεδονίαν πράγμασι διαπιστῶν οὐδαμῶς ἐβούλετο παραχειμάζειν κατὰ τὴν Ἀσίαν.*

Quod argumentum eo non potest labefactari, quod Polybius ibi commemorat consulis creationem. Nam qui tum magistratum inierunt Idibus Martiis consules Mommsenius docet[3]) creatos esse mense Ianuario. Annus autem Romanus ut infra videbimus tum naturalis anni temporibus antecessit duobus fere vel tribus mensibus.

Initio ol. 145, 4 ponendae sunt hae res Graecae XVIII 43, 1—3 *κατὰ τὴν Ἑλλάδα μετὰ τὴν μάχην Τίτου παραχειμάζοντος ἐν Ἐλατείᾳ, Βοιωτοὶ, σπουδάζοντες ἀνακομίσασθαι τοὺς ἄνδρας τοὺς παρ' αὐτῶν στρατευσαμένους παρὰ τῷ Φιλίππῳ, διεπρεσβεύοντο περὶ τῆς ἀσφαλείας αὐτῶν πρὸς Τίτον. ὁ δὲ βουλόμενος ἐκκαλεῖσθαι τοὺς Βοιωτοὺς πρὸς τὴν σφετέραν εὔνοιαν διὰ τὸ προορᾶσθαι τὸν Ἀντίοχον ἑτοίμως συνεχώρησεν.*

ταχὺ δὲ πάντων ἀνακομισθέντων ἐκ τῆς Μακεδονίας, ἐν οἷς ἦν καὶ Βραχύλλης, τοῦτον μὲν εὐθέως βοιωτάρχην κατέστησαν, παραπλησίως δὲ καὶ τοὺς ἄλλους τοὺς δοκοῦντας εἶναι φίλους τῆς Μακεδόνων οἰκίας ἐτίμων καὶ προῆγον οὐχ ἧττον ἢ πρότερον.

Quae Boeotarchae creatio Plutarcho (vit. Pelopid. c. 24)

1) *Krit. Unters.* p. 9.

2) *Krit. Unters.* p. 325.

3) *Roem. Staatsrecht* I p. 480 adn. 2.

teste incidit in brumam. Itaque olympiadis 145 quartum annum — namque narratio aliquanto ante exorditur — mihi quidem videtur esse manifestum ab hiemis incepisse initio.

Neque aliter sese habet res X 34, ubi ab olympiadis 142 quarto anno res Hispanienses ordiuntur *κατὰ δὲ τὴν Ἰβηρίαν Πόπλιος ὁ τῶν Ῥωμαίων στρατηγὸς ποιούμενος τὴν παραχειμασίαν ἐν Ταρράκωνι, καθάπερ ἐν τοῖς πρὸ τούτων δεδηλώκαμεν.*

Nam verba extrema spectant ad X 20, 8 *προῆγε ποιούμενος τὴν πορείαν ὡς ἐπὶ Ταρράκωνος ἔχων μεθ᾽ αὐτοῦ καὶ τοὺς ὁμήρους*, ubi in olympiadis 142, 3 fine Polybium cognoscitur nondum fecisse hiemis mentionem. Comprobatur sententia c. 34, 4 *τῶν γὰρ δυνάμεων ἄρτι διαφειμένων εἰς τὴν παραχειμασίαν παρῆν εἰς τὴν Ταρράκωνα.*

Non igitur mirum, quod idem annus hieme ineunte finitur, vide enim X 40, 12 *μετὰ δὲ ταῦτα τῆς ὥρας ἤδη συναπτούσης ἀνεχώρησε μετὰ τῆς δυνάμεως εἰς Ταρράκωνα σπεύδων ἐν τούτοις τοῖς τόποις ποιεῖσθαι τὴν παραχειμασίαν.*

Olympiadis 144 annum primum sic incipit Polybius XIV 1, 1 *οἱ μὲν οὖν ὕπατοι περὶ ταύτας ἐγίνοντο τὰς πράξεις, ὁ δὲ Πόπλιος ἐν τῇ Λιβύῃ κατὰ τὴν παραχειμασίαν πυνθανόμενος ἐξαρτύειν στόλον τοὺς Καρχηδονίους, ἐγίνετο μὲν καὶ περὶ ταύτην τὴν παρσκευήν, οὐχ ἧττον δὲ καὶ περὶ τὴν τῆς Ἰτύκης πολιορκίαν,* quod tempus accuratius definitur, ubi veris fit mentio c. 2, 1 *ἐπειδὴ δὲ τὰ μὲν τῆς ἐαρινῆς ὥρας ὑπέφαινεν ἤδη.*

Quod enim 'e tota primi capitis narratione res ibi descriptas longius per temporis spatium apparet durasse, non est dubium, quin olympiadis 144 primus annus ordiatur ab hieme ineunte. Quod commendatur comparato Livio, qui describit olympiadis 143, 4 finem XXIX 35, 13. 14 'et — iam enim hiems instabat — castra hiberna Scipio in promontūrio communit — haec in Africa usque ad extremum autumni gesta', unde olympiadis finem concluditur fuisse hiemis principio. Nil igitur impedit, quominus olympiadis 144, 1 initium ponamus eodem tempore.

Venimus iam ad olympiades in libris posterioribus descriptas. Atque his in olympiadibus per singulos libros

distribuendis Nissenium ducem sequimur, qui hac de re sagacissime disseruit.[1])

Habemus duo exempla.

Olympiadis 147 primum annum inde ab hieme ineunte exordiri e XX 3 apparet *Ἀντιόχου διατρίβοντος ἐν τῇ Χαλκίδι καὶ τοῦ χειμῶνος καταρχομένου παρεγένοντο πρὸς αὐτὸν πρεσβευταί.*

Eiusdem olympiadis quartus annus incipit XXI 43 *κατὰ τοὺς καιροὺς τούτους κατὰ τὴν Ἀσίαν Γναίου τοῦ τῶν Ῥωμαίων στρατηγοῦ παραχειμάζοντος ἐν Ἐφέσῳ, κατὰ τὸν τελευταῖον ἐνιαυτὸν τῆς ὑποκειμένης ὀλυμπιάδος, παρεγένοντο πρεσβεῖαι παρά τε τῶν Ἑλληνίδων πόλεων τῶν ἐπὶ τῆς Ἀσίας καὶ παρ' ἑτέρων πλειόνων,* ubi narrat Polybius Cn. Manlium cum complures legationes ad eum venissent, in Pamphyliam profectum esse *τῆς ὥρας παραδιδούσης* vel vere ineunte. Quartus igitur olympiadis 147 annus — nam legationes magnum tempus consumpsisse est verisimillimum — incipit ab hiemis initio.

Ex his exemplis allatis in Polybii fragmentis olympiadum annos apparet incipere ab hieme ineunte.

Sed quaeritur, quod sit hiemis initium secundum Polybium.

Hoc non in brumam incidisse demonstratur praeter illum de quo diximus locum XVIII 43, 3 verbis IV 67, 6 *τοῦ δὲ χειμῶνος ἔτι προβαίνοντος — προῆγεν ἀπὸ Λαρίσης καὶ — ἧκε διὰ τῆς Βοιωτίας καὶ Μεγαρίδος εἰς Κόρινθον περὶ τροπὰς χειμερινάς.* Immo initium aliquanto ante cecidisse concluditur e V 51, 1 *Ἀντίοχος — διανύσας εἰς Ἀντιόχειαν τὴν ἐν Μυγδονίᾳ περὶ τροπὰς χειμερινὰς ἐπέμεινε θέλων ἀποδέξασθαι τὴν ἐπιφορὰν καὶ τὴν ἀκμὴν τοῦ χειμῶνος,* ubi bruma hiemis *ἀκμή* vocatur.

Monet Ungerus[2]) hiemem Polybii incipere a Vergiliarum occasu, quas Plinius (II 125) docet occidere ante diem tertium Id. Nov. Quod principium ex Idelero[3]) discimus in usu fuisse apud veteres, sed idem a Polybio adhibitum esse certo non potest demonstrari. Invenitur quidem locus III 54, 1 *τῆς δὲ*

---

[1]) Mus. Rhen. XXVI p. 259 sq.
[2]) phil. XXXIII p. 238.
[3]) *Handb. d. Chronol.* I p. 241.

χιόνος ἤδη περὶ τοὺς ἄκρους ἀθροιζομένης διὰ τὸ συνάπτειν τὴν τῆς Πλειάδος δύσιν, quo poteris induci in talem errorem. Verum his verbis cave ne nimium tribuas. Nam leguntur, ubi Hannibal ascendit summos Alpium montes, quod fiebat mense Septembri.[1]) Verum hiemis exordium ex eis non cognoscitur. Quando vero illud fuerit II 54, 13 satis diserte indicatur *Ἀντίγονος παραλαβὼν δὲ καὶ ταύτας τὰς πόλεις ἐθελοντὴν προςχωρησάντων αὐτῷ τῶν κατοικούντων οὕτως ἤδη συνάπτοντος τοῦ χειμῶνος παρῆν εἰς Αἴγιον πρὸς τὴν τῶν Ἀχαιῶν σύνοδον καὶ τοὺς μὲν Μακεδόνας ἐπ' οἴκου διαφῆκε πάντας εἰς τὴν χειμασίαν, αὐτὸς δὲ τοῖς Ἀχαιοῖς διελέγετο καὶ συνδιενοεῖτο περὶ τῶν ἐνεστώτων.* Nam hic apertum est agi de Achaeorum quae Kalendis fere Octobribus habebatur[2]) contione, quacum hiemis initium congruere e toto sententiarum nexu apparet. Ad huius definitionis fidem stabiliendam adfero II 54, 4 *Ἀντίγονος ἧκε πρὸς τὴν τῶν Ἀχαιῶν σύνοδον εἰς Αἴγιον. ἀπολογισάμενος δὲ περὶ τῶν καθ' αὐτὸν καὶ χρηματίσας περὶ τῶν μελλόντων, ἔτι δὲ κατασταθεὶς ἡγεμὼν ἁπάντων τῶν συμμάχων, μετὰ ταῦτα χρόνον μέν τινα παραχειμάζων διέτριβε περὶ Σικυῶνα καὶ Κόρινθον, τῆς δ' ἐαρινῆς ὥρας ἐνισταμένης ἀναλαβὼν τὰς δυνάμεις προῆγε.*

Porro ad eam arctissime se adplicant IV 26, 7—29, 1 *οἱ δ' Ἀχαιοὶ συνελθόντες εἰς τὴν καθήκουσαν σύνοδον τότε δόγμα πάντες ἐπεκύρωσαν — προςελθόντος δὲ καὶ τοῦ βασιλέως πρὸς τὴν βουλὴν ἐν Αἰγίῳ καὶ διαλεχθέντος διὰ πλειόνων, τὰ ῥηθέντα μετ' εὐνοίας ἀπεδέξαντο — ὁ δὲ βασιλεὺς Φίλιππος χρηματίσας τοῖς Ἀχαιοῖς ἀνέζευξε μετὰ τῆς δυνάμεως ἐπὶ Μακεδονίας — Φίλιππος δὲ παραχειμάζων ἐν Μακεδονίᾳ κατέγραφε τὰς δυνάμεις.*

et IV 67, 1 *παρὰ τοῖς Αἰτωλοῖς ἤδη τῶν ἀρχαιρεσίων*

---

[1]) III 34, 6 *συνῆγε τὰς δυνάμεις ἐκ τῆς παραχειμασίας ὑπὸ τὴν ἐαρινὴν ὥραν.* III 56, 3 *τέλος δὲ τὴν μὲν πᾶσαν πορείαν ἐκ Καινῆς πόλεως ἐν πέντε μησὶ ποιησάμενος, τὴν δὲ τῶν Ἄλπεων ὑπερβολὴν ἡμέραις δεκαπέντε.*

[2]) Klattius 'Chronol. Beitraege zur Geschichte des ach. Bundes' p. contra Ungerum *Sitz.-Ber. d. B. Akad. d. Wiss.* 1879 p. 117 sq., Dubois l. c. p. 115.

καθηκόντων στρατηγὸς ᾑρέθη Δωρίμαχος, quae infra secuntur c. 67, 6 *τοῦ δὲ χειμῶνος ἔτι προβαίνοντος.*

Nam locis allatis hiems ipsa commemoratur brevi post contionem Achaeorum vel Aetolorum, quare in tanto locorum consensu, quin hiemis initium congruat cum illarum contionum tempore, diligenter rem perpendenti dubium esse non poterit.

Singuli igitur Olympiadum anni in fragmentis incipiunt a Kalendis Octobribus, quod idem tempus adhibetur in libris servatis ad res Graecas singulis olympiadis 140 annis attribuendas.

Sed accedunt externa quibus haec sententia confirmatur argumenta. Nam Livii narratione e Polybio petita item demonstratur singulos olympiadum annos incipere a Kalendis fere Octobribus. Cuius rei egregium invenitur exemplum, ubi olympiadis 147 tertius annus concluditur: cf. XXXVIII 27 'eos Manlius Ephesum venire iussit. ipse (iam enim medium autumni erat) locis gelidis propinquitate Tauri montis excedere properans victorem exercitum in hiberna maritimae orae reduxit.'

Nam autumni principium secundum Plinium[1]) incidit in III. Id. Sext., finis in III. Id. Nov., itaque medius autumnus erat extremo mense Septembri, hoc igitur tempore finitur olympiadis 147 tertius annus.

Qui idem finis fuit olympiadis 145 primi anni XXXI 47 'iam autumnale aequinoctium instabat — regem statum initiorum Cereris, ut sacris interesset tenuit', nam seclusa sacra agebantur mense Septembri. At Ungerus hic putat esse cogitandum non de ipso anni fine, sed de magni momenti re extrema. Quam maxime autem eius sententia infirmatur sequentibus 'secundum initia et ipse in Asiam se recepit, Age-

---

[1]) XVIII 271 'III. Id. Augustas fidicula occasu suo autumnum indicat, ut is (Caesar) adnotavit', ubi in Caesaris nomine non est offendendum, nam eum Idelerus l. c. p. 144 demonstrat secutum esse his in definitionibus antiquiores normas; XVIII 313 'dein III. Idus Novembres vergiliae occidunt'; II 125 'post id aequinoctium diebus fere quattuor et quadraginta vergiliarum occasus hiemem inchoat, quod tempus in III. Idus Novembres incidere consuevit'.

simbroto et Rhodiis domum remissis. Haec ea aestate terra marique adversus Philippum sociosque eius ab consule et legato Romanis adiuvantibus rege Attalo et Rhodiis gesta', unde aestatem vel olympiadis 145 primum annum apparet finiri aequinoctii autumnalis fere tempore.

Eiusdem anni initium describitur XXXI 22 his 'consul alter cum autumno ferme exacto in provinciam venisset, circa Apolloniam hibernabat' quibus verbis Ungerus putat fulciri sententiam suam (p. 5). Neque tamen inde licet concludere annum incipere a mense Novembri; nam verba 'autumno ferme exacto' possunt amplecti etiam mensem Octobrem. Neque hac re infringuntur, quae hucusque disputavimus; satis enim res explicatur, dummodo consulem serius cum imperio in provinciam profectum esse statuamus.

Tum olympiadis 141 quarti annis finis indicatur Liv. XXV 31 ubi quomodo Syracusae expugnatae sint accuratius describitur. Magnum temporis definiendi adminiculum praebent, quae XXV 26 leguntur 'nam tempore autumni et locis natura gravibus intoleranda vis aestus per utraque castra omnium ferme corpora movit'.

Namque pestem hic narratam e verbis 'intoleranda vis aestus' apparet incidisse in priorem autumni partem, quam Plinius docet incipere a III. Id. Sext. Syracusarum igitur expugnationem ipsam vel olympiadis 141,4 finem in extremum mensem Septembrem si statuimus incidisse a vero haud aberrabimus.

Quibus argumentis e Livio petitis iudicium de olympiadum initio supra prolatum manifestissimum reddi nemo infitias ibit.

Sed obstare videntur, quae XI 20 apud Polybium leguntur, ubi secundus olympiadis 143 annus orditur ab his verbis *οἱ μὲν οὖν περὶ τὸν Ἀσδρούβαν ἀθροίσαντες τὴν στρατείαν ἐκ τῶν πόλεων, ἐν αἷς ἐποιοῦντο τὴν παραχειμασίαν, προῆλθον.* Inde enim Hasdrubalem castra movisse apparet post hibernorum dies, non eorum tempore, ut Ungerus[1]) et Steige-

[1]) phil. XXXIII p. 235.

mannius (l. c. p. 17) putaverunt. Atque vere id factum esse concluditur e meridiei mentione, quo die brevi post Poeni pugnam commiserunt cum Romanis c. 24, 5 *ἤδη δὲ τοῦ καύματος ἐφεστῶτος κατὰ τὴν ἀκμὴν οἱ μὲν Καρχηδόνιοι παρελύοντο.*

Quominus autem olympiadis 143, 2 initium hoc ponamus tempore, iam impediunt, quae de olympiadum 142 quarto et 144 primo disseruimus anno.

Nam quod Kalendis Octobribus et quartum olympiadis 142 annum habere finem et primum olympiadis 144 annum incipere supra demonstratum est, olympiadem 143 elucet eandem habuisse annorum dispositionem. Nec iudicium de olympiadum initio prolatum loco, quem tradunt excerpta antiqua XI 20 infirmatur, nam nititur quinque eorundem excerptorum locis et Livii narratione. Illa autem quae legitur XI 20 temporis definitio non est difficilis ad explicandum. Nam epitomatores omiserunt, quae ad *ὑποθέσεων* argumentum non viderentur quadrare. Quo factum est, ut in Constantini excerptis, praecipue in eis quae sunt *περὶ πρεσβειῶν* olympiadum initia inveniantur plane diversa.

Sic a media hieme incipere videtur olympiadis 152 tertius annus: cf. XXVIII 3 *Αὖλος κατὰ τοῦτον τὸν χρόνον ἀντιστράτηγος ὢν καὶ παραχειμάζων ἐν Θετταλίᾳ μετὰ τῶν δυνάμεων ἐξέπεμψε πρεσβευτάς.*

Nam tum consules magistratum inibant Idibus Martiis, itaque inde ab hoc die fuit A. Hostilius proconsul; sed quod annum Romanum infra (p. 31) videbimus tum antecessisse Iuliano duobus vel tribus mensibus, olympiadis 152 tertium annum dixerit quispiam incipere a mense Ianuario.

Similiter olympiadis 156 et primum et secundum annum initium capere ab hiemis fine satis diserte indicatur XXXIII 1. 12 *ἔτι κατὰ χειμῶνα.* Nec distat quod ab aestate epitomatores olympiadis 147 tertium faciunt incipientem annum XXI 18 *ἤδη τῆς θερείας ἐνισταμένης μετὰ τὴν νίκην τῶν Ῥωμαίων τὴν πρὸς Ἀντίοχον παρῆν — βασιλεὺς Εὐμένης.*

Quae hucusque de olympiadibus in Polybii fragmentis commemoratis disputavimus, ex his elucet earum initium fuisse Kalendas fere Octobres. Videamus conveniantne tempora ab

astronomis computata. Praesto sunt ad comparationem instituendam fines olympiadis 142, 4. 141, 4 (e Livii narratione noti) et initia olympiadis 144, 1. 147, 1 quae omnia elucet pertinere ad illos posterioris seriei dies, de quibus supra (p. 6) exposui.

ol. 142	VIII. Kal. Oct.
ol. 143	III. Id. Sept.
ol. 144	VII. Kal. Oct.
ol. 147	Id. Sept.

Quibus concessis inter fragmentorum et integrorum librorum temporum rationes — nam in his, ut supra (p. 16) demonstratum est, adhibentur prioris seriei dies — exsistit discrimen memorabile.

Currit enim ol. 140 a IX. Kal. Sept. usque ad III. Id. Sext.
sed ol. 142 a VIII. Kal. Oct. „ „ III. Id. Sept.

Comprobatur igitur Polybii narratione utraque dierum series, quod quomodo sit explicandum, plane mihi incertum sed doctioribus relinquo diiudicandum.

Iam vero, quoniam quae de olympiadum apud Polybium ratione disputavi, sufficere puto ad redarguendas virorum doctorum opiniones, non opus erit exponere, quanto opere ab illis dissentiam. Cui enim quae equidem exposui haud improbabilia visa erunt, is simul habebit, cur mecum eorum sententiis non omni ex parte adsentiatur.

Neque tamen silentio praetereunda sunt, quae Ungerus protulit ad sententiam suam (p. 5) confirmandam. Putat enim ab ipso Olympiorum tempore Polybium in libris I—V non modo totam olympiadem 140, verum etiam singulos olympiadis annos[1]) numerasse propterea esse statuendum, quod in illis libris nusquam disertis verbis de nova temporum ratione instituenda exposuerit. Quod silentium magnam movere suspicionem, quoniam ceteroquin Polybius multus sit in inserendis excursibus ad consilium suum clarius illustrandum.

At hoc silentium facillime potest explicari. Nam omnino verba fecisse Polybium de olympiadum ratione intellegitur ex Eusebio[2]) *ἱστοροῦσι δὲ οἱ περὶ Ἀριστόδημον τὸν Ἠλεῖον ὡς*

[1]) quos diximus incipere a Kalendis Octobribus.

[2]) Cramer, anecd. Paris. vol. II p. 141, 17.

ἀπὸ εἰκοστῆς καὶ ἑβδόμης ὀλυμπιάδος ἤρξαντο οἱ ἀθληταὶ ἀναγράφεσθαι ὅσοι δηλαδὴ νικηφόροι. πρὸ τοῦ γὰρ οὐδεὶς ἀνεγράφη ἀμελησάντων τῶν πρότερον. τῇ δὲ εἰκοστῇ ὀγδόῃ τὸ στάδιον νικῶν Κόροιβος Ἠλεῖος ἀνεγράφη πρῶτος καὶ ἡ ὀλυμπιὰς αὕτη πρώτη ἐτάχθη, ἀφ' ἧς Ἕλληνες ἀριθμοῦσι τοὺς χρόνους, τὰ δ' αὐτὰ τῷ Ἀριστοδήμῳ καὶ Πολύβιος ἱστορεῖ, quod fragmentum Hultschius secundo sexti libri capiti tribuit.

Idem cognoscitur e Syncello p. 1950 sq.[1]) *Ὀλυμπιὰς δέ ἐστι παρ' Ἕλλησι τετραετηρικὸς χρόνος, οὗ κατὰ τὴν συμπλήρωσιν ἀρχομένου τοῦ ἔτους ὁ Ὀλυμπιακὸς ἀγὼν ἤγετο. τοῦτον Ἑλλήνων παῖδες ἀσυμφώνως ἱστοροῦσι καταδεδεῖχθαι — τὸν δ' ἀγῶνα τετέλεκεν Ἴφιτος Ἡρακλείδης σὺν Λυκούργῳ συγγενεῖ, ἑκάτεροι δὲ Ἡρακλεῖδαι. τότε δ' ἀγὼν σταδίου μόνον ἦν καὶ οὐδεὶς ἀνεγράφετο νικηφόρος ἀμελούντων τῶν τηνικάδε. ὀγδόῃ δὲ καὶ εἰκοστῇ ὀλυμπιάδι Κόροιβος Ἠλεῖος ἀνεγράφη στάδιον νικήσας καὶ ἡ κατ' αὐτὸν ὀλυμπιὰς πρώτη ἐτάχθη, ἀφ' ἧς Ἕλληνες ἀριθμεῖν τι δοκοῦσιν ἀκριβῶς χρονικόν· ταῦτα Ἀριστόδημος ἱστορεῖ καὶ συνῳδὰ τούτῳ Πολύβιος.*

Sed quaeritur, cur Polybius novam olympiadum rationem, ubi primum adhibuit eam, non statim longiore explanaverit expositione.

Ac Nissenius[2]) quidem satis hoc explicari posse putavit e loco XII 11, 1, ubi Polybius de Timaeo haec dicit *ὁ γὰρ τὰς συγκρίσεις ποιούμενος ἀνέκαθεν τῶν ἐφόρων πρὸς τοὺς βασιλεῖς τοὺς ἐν Λακεδαίμονι καὶ τοὺς ἄρχοντας τοὺς Ἀθήνησι καὶ τὰς ἱερείας τὰς ἐν Ἄργει παραβάλλων πρὸς τοὺς ὀλυμπιονίκας καὶ τὰς ἁμαρτίας τῶν πόλεων περὶ τὰς ἀναγραφὰς τὰς τούτων ἐξελέγχων παρὰ τρίμηνον ἐχούσας τὸ διαφέρον οὗτός ἐστι.*

Inde enim illam Polybii olympiadum rationem iam ante eum Graecos adhibuisse concludit. Sed plane aliter explicat Ungerus verba *παρὰ τρίμηνον ἐχούσας τὸ διαφέρον*, in quibus versatur quaestionis cardo. Nam eis significari debere putat illud unius mensis et dimidii discrimen, quod inter olympiadis

---

[1]) Corp. hist. Byzant. Bonn. I p. 368 sq.

[2]) Mus. Rhen. XXVI p. 252.

et Atheniensium[1]) vel Lacedaemoniorum[2]) anni initium intercedebat. Atque discrepantiam ipsam autumat non *πόλεις* ut est librorum memoria admisisse sed rerum scriptores, quia illae suas proprias adhibuerint aeras. Statuit igitur *τῶν πολλῶν* scribendum esse pro *τῶν πόλεων* et pro *τρίμηνον τριημίμηνον*.

Quae sententia parum est probabilis, quippe quae duabus nitatur coniecturis satis dubiis.

Immo verbis *καὶ τὰς ἁμαρτίας τῶν πόλεων περὶ τὰς ἀναγραφὰς τὰς τούτων ἐξελέγχων παρὰ τρίμηνον ἐχούσας τὸ διαφέρον* Timaeum exprimitur vituperasse in civitatum fastis vitia inde orta, quod in propriis aeris Olympiadum rationi adaptandis peccaverunt tribus mensibus. Spectat verbum *τούτων* ad fastos supra commemoratos ephororum archontum Iunonis sacerdotum, non solum ad verbum *ὀλυμπιονίκας*, namque in his scribendis civitates non potuerunt esse falsae.

His igitur e verbis civitates annos suos olympiadibus apparet adaptavisse, quarum initia supra (p. 6) vidimus incidisse in menses modo Sextilem modo Septembrem. Qua in re potuit oriri discrepantia trium mensium. Nam Athenienses suum annum, qui a mense *Ἑκατομβαιὼν* incipiebat, in aequo posuerunt cum olympiadis anno, quamquam hic currebat a mense Septembri. Lacedaemonii contra annum ab aequinoctii autumnalis tempore incipientem adaptaverunt olympiadis anno a mense Sextili orienti.

Ex illo igitur loco XII 11, 1 non est concludendum novam olympiadum rationem in usu fuisse iam ante Polybium.

Mirum sane quod ille non statim in libro quarto vel quinto hac de re disseruit. Sed fortasse continuam librorum I—V narrationem noluit interrumpere excursu longiore, quo certe opus erat, si rationem illam accuratius erat expositurus.

[1]) a luna nova post solstitium usque ad secundae candentis et plenae lunae diem.

[2]) a secundae candentis et plenae lunae die usque ad aequinoctium autumnale.

De bello Punico primo.

De belli Punici primi initio.

Belli Punici primi qui exstitit auctor locupletissimus Polybius docet (I 5) primo olympiadis 129 anno Romanos transiisse primum in Siciliam. Quod cum ex eis quae infra (I 11, 3) narrat appareat factum esse App. Claudio cos. 490 u. c.[1]), hoc cum anno Mommsenius[2]) et Holzapfelius[3]) exaequarunt olympiadis 129 primum. Contra Matzatius[4]) illum olympiadis 129 annum putat congruere cum anno 491, quia a Polybio III 16, 7 IV 66, 8—11 aequatur olympiadis 140 primus annus cum L. Aemilii Paulli consulatu, quem fuisse anno 535 sat constat, quae computandi ratio confirmatur loco V 105, 3, ubi pugna ad lacum Trasumennum[5]) dicitur commissa esse tertio olympiadis 140 anno.

Quod vero Romanorum transitus ipse factus est App. Claudio cos. 490, hanc difficultatem Matzatius ita tollere studet, ut ol. 129, 1 initium autumet incidisse in finem a. 490.

Primum igitur erit quaerendum, quando tum initium ceperint et olympiades et anni consulares. Demonstravimus in priore huius commentationis parte Polybii olympiades coepisse ab eodem tempore, quo agebantur Olympia. Consulares autem anni tum exorsi sunt ut infra (p. 30) explicabimus a Kalendis Maiis. Itaque cum illa aetate annus consularis ab ineunte Maio curreret usque ad eundem mensem, olympias ab Olympiorum tempore usque ad sequentes dies festos, huius initium putari nequit incidisse in anni consularis finem. Sed anno

[1]) aeram usurpamus Varronianam.
[2]) *Roem. Chronol.* p. 202.
[3]) *Chronol.* p. 2. 7.
[4]) *Litt. Centralbl.* 1885. p. 1412.
[5]) cf. p. 14.

490 cum primo olympiadis 129 anno communes esse novem vel octo menses nemo non videt.

Neque tamen Mommsenii, Holzapfeliique sententia verior est quam Matzatii, quoniam cum Polybii aequandi ratione eam pugnare recte cognovit Matzatius.

Sed ipsa quaestio, quae admodum difficilis esse videtur, facillime solvitur, dummodo Polybium ut Curtius Wachsmuthius praeceptor illustrissimus me docuit, non propriam hic adhibuisse statuamus aequationem, sed alienam secutum esse memoriam. Atque eam redire ad Timaeum, qui quanto opere praestiterit in rebus maxime chronologicis satis notum est, dilucide testantur Polybii (I 5, 1) verba *αὕτη (ἡ πρώτη διάβασις ἐξ Ἰταλίας Ῥωμαίων) δ' ἐστὶ συνεχὴς μὲν τοῖς ἀφ' ὧν Τίμαιος ἀπέλιπε, πίπτει δὲ κατὰ τὴν ἐνάτην καὶ εἰκοστὴν πρὸς ταῖς ἑκατὸν ὀλυμπιάδα.*

Cum hac Polybii de belli Punici primi initio sententia omnium reliquorum conveniunt scriptorum testimonia.

Refert Gellius (XVII 21, 40) bellum adversum Poenos susceptum esse anno post Romam conditam quadringentesimo ferme et nonagesimo App. Claudio Marco Fulvio Flacco coss. Claudium consulem solum nominant Diodorus (fr. XXIII 1, 3) et Zonaras (VIII 8 P I 382 C) auctore Cassio Dione[1]), qui ad Livium redit. Eutropius (II. 18) utriusque nomen profert.

Neque Dionysius Halicarnasensis (I 8) contra facit, quamquam bellum dicit exortum esse tertio olympiadis 128 anno. Nam Mommsenius in chronologia Romana (p. 122) illum numerum tribus annis deminutum inde explicavit, quod Dionysius adnumeravit tertium decemvirorum annum, praeteriit quattuor dictatorum annos 420, 430, 445, 453, quorum alterum et ex ipsius verbis et ex computatione, alterum ex sola computandi ratione cognoscitur.

Idem valet in Livii (XXXI 1, 4) testimonio, qui App. Claudium docet consulem fuisse anno 487.[2]) Nam is quoque omisit

---

[1]) cf. Schmidt, *Ueber d. Quellen d. Zonaras* in Ephemerid. litt. antiqu. 1839 p. 258.

[2]) Nam hunc numerum omnes approbarunt, quamquam complures codices praebent CCCCLXXVII: cf. Mommsen l. c. adn. 210.

quattuor dictatorum annos, addidit tertium decemvirorum.[1]) Quem Livii numerum comprobari ex Velleio Paterculo benigne monet praeceptor praeclarissimus Curtius Wachsmuthius. Nam ille belli initium narrat (I 12, 6) fuisse annis CCXCVI ante consulatum Vinicii (a. 783). De quo anno si deduxeris CCXCVI, idem quem Livius profert efficietur numerus. Itaque Laurentius valde errasse putandus est, quod voluit CCXCII emendare, quam coniecturam miro consensu Halmius et Haasius in contextum receperunt, etsi hoc pacto uno anno aberrant a vero belli principio.

Orosius (V 7, 1) tradit Claudio Q. Fabio coss. bellum coepisse anno 483. Atque alterius quidem consulis nomen Orosii errore ortum esse videtur. Nam cum in Livii epitoma illa qua utebatur legeretur Q. Fulvii nomen teste Cassiodoro[2]), pro Fulvio substituit Fabium ea fortasse re deceptus, quod alteri antecedentis anni (489) consuli nomen erat Fabio. De numero autem cum infra acuratius sim expositurus, hoc loco id unum dicam in Livii illa eum iam exstitisse epitoma esse verisimillimum.

Restat Solini (I 3) testimonium, qui bellum docet ortum esse a. 489. Eum vel potius Bocchum, ex quo sua hausit[3]), aeram Catonianam sequi cognoscitur e reliquis exemplis eodem loco congestis. Nam decemviros dicit creatos esse anno trecentesimo secundo, bellum Punicum secundum susceptum esse quingentesimo tricesimo quinto, tertium sexcentesimo quarto, sociale sexcentesimo sexagesimo secundo, qui ex aera Varroniana sunt anni 303, 536, 605, 663.

Examinatis his de primi belli Punici initio testimoniis reliquum est, ut quando tum consules magistratum inierint exponamus. Atque annum consularem inde ab 537 coepisse Idibus Martiis ex haud paucis Livii[4]) locis recte colligitur. Quo die antea consules magistratum inierint, certa desunt testimonia, sed concluditur e fastis triumphalibus. Novi enim

---

[1]) Mommsen l. c. p. 121.

[2]) cf. Zangemeister, *Heidelb. Festschrift* 1882 p. 102.

[3]) Mommsen, Proleg. ad Solin. p. XVI sq.

[4]) XXXI 5 XXXII 1 XXXIII 10: cf. Mommsen, *Chronol.* p. 101 sq.

consules ingrediebantur magistratum paulo post praecedentium triumphos, qui acti sunt annis inde a 476 usque ad 531 (tribus expeditionibus aestivis exceptis anno 488 VI. Kal. Oct. III. Non. Oct. anno 490 Kal. Nov.) inter Idus Decembres et Apriles. Itaque belli Punici primi aetate annum consularem coepisse Kalendis Maiis inter omnes[1]) viros doctos convenit.

De discrepantia quae inter anni consularis et anni naturalis tempora tum intercessit.

Fraenkelius in libro, cui inscripsit 'Der Amtsantritt der roem. coss. waehrend der Periode 387 u. c. bis 532 u. c.' p. 19 sq. certis argumentis demonstravit inter bellum cum Pyrrho gestum et belli Punici secundi initium annum Romanum duobus fere vel tribus mensibus antecessisse naturalis anni temporibus.

Exemplorum a Fraenkelio adlatorum duo spectant ad bellum Punicum primum.

Anno 494 Duilius Romam revertitur *θέρους παρελθόντος*[2]), quibus verbis Zonoras sicut VIII 13 P I 390 C verbis *χειμῶνος δὲ ἐπιγενομένου* significat mensem Novembrem. Sed e fastis triumphalibus apparet illum consulem egisse triumphum Kalendis Intercalariis, quas Censorinus (20, 6) docet fuisse extremo mense Februario. Ergo cognoscitur inter annum consularem et naturalem trium mensium[3]) intercedere discrimen.

Quod idem Fraenkelius ostendit anno 504. Nam pugna ad Panormum commissa est messis tempore[4]), quam ille (p. 126 sq.) mea quidem sententia recte monet fuisse ante medium mensem Iunium.

At secundum fastos triumphales Metellus consul, qui qua-

---

[1]) Holzapfel, *Chronol.* p. 100; Fraenkel, *Der Amtsantritt der roem. coss.*, p. 106; Unger, *roem. Stadtaera* p. 92; Mommsen, *Chronol.* p. 102. Unus Matzatius consules putat iniisse magistratum a. 491—501 Kal. April. cf. *Chronol.* I p. 190. 193.

[2]) Zonaras VIII 11 P I 387 D.

[3]) Fraenkel l. c. p. 20.

[4]) Polyb. I 40, 1.

draginta fere diebus post victoriam a Poenis reportatam Romae[1]) esse potuit, triumphavit a. d. VII. Idus Septembres; quae testimonia si comparaveris, haec quoque tempora duobus mensibus inter se distare videbis.

Sed Fraenkelii sententia aliis quoque, ut equidem arbitror, confirmatur argumentis.

Anno 491 M'Valerius, M'Otacilius coss. postquam multa Siculorum oppida adiunxerunt ad Romanorum partes, Rhegium revertuntur *διὰ τὸν χειμῶνα.*[2])

Quod tempus e sequentibus paulo distinctius licet definire. Nam L. Postumius Q. Manilius proximi anni coss. Agrigento expugnato Messanam redeunt ipsi quoque *διὰ τὸν χειμῶνα.*[3]) Obsederant autem oppidum inde a messis tempore vel mense Iunio per septem menses Polybio (I 18, 6 19, 6) auctore, per sex si Diodorum (fr. XXIII 9) sequeris[4]). Expugnatum igitur est Agrigentum medio mense Ianuario vel secundum Diodorum Decembri.

Itaque hoc anni tempore redierunt consules Messanam, quod Zonaras expressit verbis *διὰ τὸν χειμῶνα.* Neque alio tempore reverterunt Rhegium M'Valerius M'Otacilius antecedentis anni coss., qui ambo Romam venerunt certe extremo Ianuario vel Decembri. Atqui M'Valerium fasti tradunt triumphum egisse a. d. XVI. Kalendas Apriles, unde annum consularem 491 apparet praecessisse naturali duobus vel tribus mensibus.

Similiter res sese habet anno 496. Nam postquam C. Atilius cos. in Siciliam advenit, quod factum est ineunte aestate[5]) i. e. mense Iunio, a C. Aquillio Floro expugnatur Mytistratum. Sed consul quamquam Romae erat iam mense Quinctili triumphavit demum a. d. IV. Nonas Octobres.

Eodem anno C. Atilius C. Sulpicius cum in Siciliam venissent castra moverunt Panormum *διὰ τὸ τὰς τῶν Καρχη-*

---

[1]) Fraenkel l. c. p. 16.

[2]) Zonaras VIII 9 P I 385 B.

[3]) cf. eund. VIII 10 P I 386 B.

[4]) de temporis discrimine cf. Neuling, De belli Punici primi scriptorum fontibus p. 27.

[5]) Zonaras VIII 11 P I 388 C.

δονίων δυνάμεις ἐκεῖ παραχειμάζειν.[1]) Unde cognoscitur anni Romani mensem Maium incidisse in hiemem.

Sed haec certissima testimonia, quibus annum Romanum antecessisse naturali duobus vel tribus mensibus luculenter demonstratur, infringere conatus est Matzatius[2]), quod pugnant cum novo eius systemate chronologico. Atque mirus sane his in testimoniis reiciendis argumenta profert, quae nulla probabilitatis specie commendantur. Neque tamen opus mihi videtur esse pluribus hac de re exponere, cum Fraenkelius in libro suo (p. 11 sq.) satis superque disputaverit contra Matzatium.

His de bello Punico primo in universum praemissis temporum rationem a Polybio in hoc bello enarrando adhibitam accuratius tractare mihi proposui, quoniam ille etsi breviter se dicturum esse de bello Punico primo ipse profitetur (I 13, 6 sq.), tamen longe optimam exhibet (I 5, 1—63, 4) belli narrationem.

Exponemus igitur primum

Quomodo fasti consulares Polybio praebeant temporis definiendi adminiculum.

Atque quod singulis annis consulum nomina praemittit, quamquam diligentiae laude non defraudandus erit Polybius, tamen nonnulla minus recte ab eo administrata esse crediderim.

Non ei vitio vertam, quod non unoquoque anno consules commemorat. Velut anno 495 cuius res gestas exponit (c. 24, 5 sq.) quam brevissime. Sed ceteri quoque rerum scriptores verba faciunt[3]) solis de proeliis in Sardinia commissis, quae testantur acta triumphorum Capitolina. Porro silentio praeterit C. Aurelium P. Servilium coss. anni 502. Nec mirum, nam huius anni facta non fuisse digna, quae fusius explicarentur cognoscitur e narratione et Zonarae (VIII 14 P I 393 A) et Orosii (IV 9, 13).

Eadem rerum gestarum tenuitate adductus esse videtur, ut omitteret sex consulatus C. Lutatii Catuli anno antecedentes.

---

[1]) Polyb. I 24, 9.
[2]) *Chronol.* II p. 216 adn. 2; p. 234 adn. 1; p. 236 adn. 1; p. 276 adn. 5.
[3]) Zonaras VIII 11 P I 388 A; Eutropius II 20, 3; Orosius IV 7, 11.

Ultima enim belli parte non dimicatum esse nisi parvulis et ancipitibus proeliis testantur Polybius (c. 56, 11. 57, 1—8) et Zonaras (VIII 16 P I 397 D).

At magna profecto a Polybio videtur esse admissa neglegentia, quod de anno 502 omnino tacet.

Nimirum C. Atilium L. Manlium coss. Polybius (c. 41) dicit cinxisse exercitu Lilybaeum, quod verbis *ἔτος δ' ἦν τῷ πολέμῳ τεσσαρεσκαιδέκατον* (c. 41, 3) accuratius definitur. Sed secundum fastos Capitolinos inierunt hi consules magistratum anno 504 u. c. aerae Varronianae vel quinto decimo belli anno. Quae discrepantia explicari non postet nisi statuimus omissum esse hac in computatione annum 502.

Nec minus illud concluditur ex eo loco, ubi Romani dicuntur pertimuisse elephantos c. 39, 11 sq. *οἱ γὰρ Ῥωμαῖοι διαδοθείσης φήμης περὶ τῆς ἐν Λιβύῃ μάχης, ὅτι τὰ θηρία τάς τε τάξεις αὐτῶν διασπάσαι καὶ τοὺς πλείστους διαφθεῖραι τῶν ἀνδρῶν, οὕτως ἦσαν κατάφοβοι τοὺς ἐλεφάντας ὡς ἐπὶ δύο ἐνιαυτοὺς τοὺς ἑξῆς τῶν προειρημένων καιρῶν, πολλάκις μὲν ἐν τῇ Λιλυβαιίτιδι χώρᾳ πολλάκις δ' ἐν τῇ Σελινουντίᾳ παραταττόμενοι τοῖς πολεμίοις ἐν ἓξ καὶ πέντε σταδίοις, οὐκ ἐθάρρησαν οὐδέποτε κατάρξαι τῆς μάχης οὐδ' εἰς τοὺς ὁμαλοὺς καθόλου συγκαταβῆναι τόπους δεδιότες τὴν τῶν ἐλεφάντων ἔφοδον.*

Significatur hic illa pugna in Libya commissa in qua M. Atilius a Xanthippo victus et captus est. Huius pugnae res singulae non prius in omnium ore poterant esse Romae quam ad finem venerat consulatus A. Atilii Cn. Cornelii. Nam M. Aemilius Ser. Fulvius coss. cum exercitus quae Clupeam fugerat partem in naves imposuissent tempestate ad Camerinam orta admodum magnum amiserant navium numerum. Classis reliquias Messanae acceperunt A. Atilius Cn. Cornelius anni 500 coss., qui Panormo expugnata Romam redierunt (c. 38, 6—10). Tum demum fieri potuit, ut Romani audirent pugnae res singulas et magno in timore essent elephantorum. Qui sublatus est allato victoriae Panormitanae nuntio, ex qua Romanos Polybius narrat maximam percepisse laetitiam. c. 41 *οὐχ οὕτως ἐπὶ τῷ τοὺς πολεμίους ἡλαττῶσθαι τῶν θηρίων ἐστερη-*

μένους ὡς ἐπὶ τῷ τοὺς ἰδίους τεθαρρηκέναι τῶν ἐλεφάντων κεκρατηκότας.

Itaque quod pugna Panormitana, ut infra (p. 42 sq.) demonstrabimus, commissa est C. Atilio L. Manlio coss. anno 504, Libycae autem pugnae res singulae Romam nuntiatae sunt anno 500, intercedunt inter duos hos terminos tres anni consulares 501, 502, 503. Quodsi neglectos esse sumimus in computando ipsos terminos atque praetermissum esse rursus annum 502, optime concinunt Polybii verba *ἐπὶ δύο ἐνιαυτοὺς* Romanos fuisse in metu.

Ex his igitur dilucide apparet in Polybii narratione prorsus esse omissum annum 502. Qua de causa assentiri non possum Matzatio, qui annum 504 dicit[1]) esse Polybio belli quartum decimum propterea, quod 491 (= ol. 129, 1) pro primo belli anno habuerit. Sed hanc ratiocinationem iam propter aequationem 491 = ol. 129, 1 corruere e supra (p. 28) dictis cognoscitur. Accedit, quod hac in belli descriptione omnino non per olympiades, ut Matzatius putat, sed per consules Polybius res digerit. Nulla enim commemoratur olympias praeter illam, de qua diximus initio belli.

Alterum luculentum incuriae documentum in eo deprehenditur, quod L. Iunium e Polybii verbis apparet ab eo positum esse consulem uno anno post P. Claudium.

Nam Romani narrantur munitionibus quibus Lilybaeum saepserant deletis misisse milites in Siciliam P. Claudio cos. (c. 49, 3).

Quod hic alter consul solus nominatur, hac in re non est offendendum. Anni 497 enim consulum item C. Atilius unus nomine laudatur.

Sed postquam P. Claudium narravit poena affectum esse propter cladem Drepanitanam sic pergit (c. 52, 4) *οὐ μὴν οἵ γε Ῥωμαῖοι καίπερ τοιούτων συμβεβηκότων διὰ τὴν ὑπὲρ τῶν ὅλων φιλοτιμίαν οὐδὲν ἀπέλειπον τῶν ἐνδεχομένων, ἀλλ᾽ εἴχοντο τῶν ἑξῆς πραγμάτων. διὸ καὶ συνάψαντος τοῦ κατὰ τὰς ἀρχαιρεσίας χρόνου στρατηγοὺς ὑπάτους καταστήσαντες παραντίκα τὸν ἕτερον*

[1]) cf. *Chronol.* II p. 280 adn. 2.

αὐτῶν ἐξέπεμπον Λεύκιον Ἰούνιον, unde L. Iunium cognoscitur esse positum a Polybio uno anno post P. Claudii consulatum.

E computandi autem ratione perspicitur Polybium non modo hoc in consulatu ponendo errasse, verum etiam id quod multo gravius est in computando et P. Claudio et L. Iunio integrum tribuisse annum. Ceterum utrum hi errores ab ipso Polybio commissi sint an ab eo auctore ex quo hausit, nunc diiudicari nequit, cum antiquiorum testium paene nullae supersint reliquiae. Unum vero permemorabile est: quod omisso anno 502 factum est, ut a fastis narratio aberraret uno anno, id vitium ea re quoddammodo corrigitur, quod L. Iunio soli integer tribuitur annus; sic enim effectum est, ut anni rursus congruerent cum fastis.

Habemus igitur hunc annorum conspectum

	secundum fastos		secundum Polybium
annus 501 u. c. =	XII. belli	=	XII. belli
502 u. c. =	XIII.	=	—
503 u. c. =	XIV.	=	XIII.
504 u. c. =	XV.	=	XIV.
505 u. c. =	XVI.	=	XV. XVI.
506 u. c. =	XVII.	=	XVII.
507 u. c. =	XVIII.	=	XVIII.

et quae secuntur.

Itaque non est mirum, quod omisso anno 502 tamen in sequentium annorum serie Polybii narratio non abhorret a fastis.

Quod vero Polybium P. Claudii L. Iunii consulatum in duos dissolvisse annos contendimus, iam certis probandum erit argumentis.

Descripta Erycis montis expugnatione, quae facta est Iunio cos., secuntur c. 56, 1. 2 verba *οἱ δὲ Καρχηδόνιοι μετὰ ταῦτα στρατηγὸν καταστήσαντες αὐτῶν Ἀμίλκαν τὸν Βάρκαν ἐπικαλούμενον τούτῳ τὰ κατὰ τὸν στόλον ἐνεχείρισαν. ὃς παραλαβὼν τὰς ναυτικὰς δυνάμεις ὥρμησε πορθήσων τὴν Ἰταλίαν, ἔτος δ᾽ ἦν ὀκτωκαιδέκατον τῷ πολέμῳ.*

Hamilcar igitur Poenorum dux creatus est post Iunii consulatum belli anno duodevicesimo. Iam ex aliis Polybii

locis (c. 56, 11; 58, 6) scimus Hamilcarem ab inito magistratu, quo tempore locum qui vocabatur ἐπὶ ταῖς Εἱρκταῖς vi expugnavit, usque ad Lutatii Catuli victoriam aequo Marte pugnasse quinque per annos. Quae victoria cum teste Polybio reportata sit a Poenis Lutatio Catulo cos. vel anno 512, elucet Polybium statuere ducem factum esse Hamilcarem anno 507, qui annus cum ei sit belli duodevicesimus, Polybium L. Iunio cos. soli integrum dedisse annum perspicitur.

Neque aliter potest explanari, quod totum bellum viginti quattuor annorum fuisse narrat c. 63, 4 ὁ μὲν οὖν Ῥωμαίοις καὶ Καρχηδονίοις συστὰς περὶ Σικελίας πόλεμος ἐπὶ τοιούτοις καὶ τοιοῦτον ἔσχε τὸ τέλος ἔτη πολεμηθεὶς εἴκοσι καὶ τέτταρα συνεχῶς. Nam id coepisse ab Ap. Claudio cos., ad finem venisse post C. Lutatii ad Aegates insulas victoriam Polybio auctore iam vidimus. Matzatii autem de belli fine sententia[1]) probari nequit, nisi summam admisisse Polybium in computando inconstantiam putaverimus.

Liceat iam paulo accuratius quam adhuc est factum definire, quo tempore commissae sint pugnae huius belli nobilissimae.

Atque primum agitur

De tempore pugnae, in qua a Carthaginiensibus captus est Regulus.

In pugnae Libycae tempore definiendo, ut bene procedat res proposita, proficiscendum est a fastis triumphalibus, quippe qui ut nautis ignes in his quaestionibus admodum dubiis certum praebeant adminiculum.

Ser. Fulvius M. f. M. n. Paetinus Nobilior procos.
de Cossurensibus et Poenis navalem egit
a. CDXCVIIII. XIII. K. Febr.

M. Aemilius M. f. L. n. Paullus procos.
de Cossurensibus et Poenis navalem egit
a. CDXCIX. XII. K. Febr.

Ille proconsulum triumphus navalis pertinet ad pugnam

---

[1]) *Chronol.* II p. 312 adn. 4.

apud Hermaeum promonturium commissam, ubi Romani auxilio venientes eis, qui clade Libyca accepta Clupeam fugerant, proelio vicerant classem Carthaginiensium.

Pugna igitur ipsa, quam mense fere Iunio[1]) factam esse constat, putanda est incidisse in annum 500, quod Niebuhrius (R.G.III 695) et Fraenkelius (l. c. p. 13 sq.) recte cognoverunt. Nam quod triumphus navalis actus est mense Ianuario anni Romani veteris i. e. mense fere Novembri (p. 31) anni naturalis 500, pugnam navalem anni Iuliani mense Iunio commissam nullo modo potest statui incidisse in annum 499, quoniam inter victoriam et triumphum unius anni et dimidii spatium interfuisse improbabile est. Qua re pugnam ad Hermaeum promonturium commissam esse statuo mense Iunio anni 500.[2])

Ante hanc autem pugnam nunc accuratius consideremus quae res gestae sint.

Cladis nuntio Romam allato classem instruxerunt Romani, ut milites qui Clupeam fugerant inde asportarent Romam. Quae cum Carthaginienses audivissent, qui tum Clupeam obsidebant neque tamen expugnare poterant propter Romanorum fortitudinem, classem ducentarum navium aedificare coeperunt. Qua exornata paulo post commissa est pugna ad Hermaeum promonturium anni 500 mense Iunio.

Omnes autem has res ita comparatas esse elucet ut non excedant annum unum.

---

[1]) Nam tempestas, quo Romanorum classis in Italiam rediens ad Camarinam deleta est, teste Polybio incidit in mensem Quinctilem: cf. c. 37, 4.

[2]) Fulvius et Aemilius vicerunt et triumphaverunt proconsules. Prorogatio et proconsulum triumphus a Romanis primum instituta sunt anno 428: cf. Liv. VIII. 26, 7 'duo singularia haec ei viro (Philoni) primum contigere prorogatio imperii non ante in ullo facta et acto honore triumphus' cf. fastos triumphales.

Q. Publilius Q. f. Q. n. Philo II. primus procos.
de Samnitibus Palaeopolitanisque
a. CDXXVII. K. Mai.

Quodsi Fraenkelius negat (l. c. p. 14) ullum triumphum egisse proconsulem, nisi qui idem proconsul victoriam reportasset, ei assentiri non possum. Nam C. Lutatium Catulum e fastis apparet triumphasse proconsulem, vicisse consulem.

Cladem igitur ipsam in anni 499 initium incidisse magna cum probabilitate licet statuere. Quibus acceptis Regulum captum esse a Carthaginiensibus ineunte anno 499 e fastis trimphalibus efficitur.

Conferamus reliquorum scriptorum testimonia.

Livius et qui eum secuntur internecionem aperte tribuunt exordienti anno 499. Id concluditur e periocha XVIII, ubi Regulum ipsum narratur sibi petivisse successorem paulo ante pugnam neque tamen missum esse a senatu prospere bellum gerenti. Quod confirmat Valerius Maximus eisdem fere verbis.[1])

Demonstratur idem Orosii verbis IV 9, 3 'Regulus ille dux nobilis cum quingentis viris captus est et in catenas coniectus decimo demum anno Punici belli nobilem triumphum Carthaginiensibus praebuit'.

Et hoc sane nemo negabit belli decimum esse annum 499, quo magistratum inierunt Aemilius Paullus et Fulvius Nobilior coss. Orosio autem eum annum decimum fuisse vel hunc scriptorem inclusisse ambos terminos in numeris ordinalibus computandis inde apparet, quod Servilii Caepionis et Sempronii Blaesi consulatum anni 501 dicit fuisse tertium post tempestatem ad Camerinam ortam[2]), quam falso tribuit anno 499.

Neque e IV 9, 3 est concludendum triumphum Carthaginiensium solum in annum 499 incidisse, victoriam ipsam in finem a. 498, quod plane pugnaret cum tota Carthaginiensium condicione. Nam non est dubium, quin victoria reportata statim consulem vinctum duxerint per Carthaginem. Idem comprobatur Orosii ipsius verbis IV 10, 1, quo loco narratur Carthaginienses L. Caecilio Metello C. Furio Placido[3]) coss.

---

[1]) IV 4, 6 'Regulus — cum — prorogatum sibi ob bene gestas res in proximum annum imperium cognosset'.

[2]) IV 9, 10 tertio anno — sicut semper
furór indomitus cíto pericli oblíscitur (cf. Ribbeckii comic. ed. II p. 390. 311).

Servilius Caepio et Sempronius Blaesus consules ducentis sexaginta navibus in Africam transgressi.

[3]) 'Placidus' pro 'Pacilo', quod exhibent fasti Capitolini, legitur et apud Orosium et apud Eutropium II 24, 1: cf. Zangemeister, *Heidelb. Festschrift* 1882 p. 102.

vel anno 503 Romam mittere statuisse Atilium Regulum, quem captivum detinuissent iam per quinque annos. Pervenimus igitur ad annum 499, quia Orosius includere solet ambos terminos in numeris cardinalibus computandis. Quod luculentissime apparet e IV 11, 4 'quis rogo duarum civitatum unum bellum per annos tres et viginti gestum fando explicet?', quae pertinent ad annos 490—512, nam annum 513, quo latae sunt pacis condiciones, illa in computatione omitti cognoscitur e IV 11, 3 'huius pacis condicio habita est post annum tertium et vicesimum, ex quo bellum Punicum primum fuerat inchoatum'.

Diodorus accuratius definit cladis tempus verbis fr. XXIII 15 *διαπολεμήσαντες δὲ ἀπὸ τούτων τῶν χρόνων ἔτη πεντεκαίδεκα.* Viginti quattuor belli annos eum computasse perspicitur e fr. XXIV 14 edit. Dindorf. *εἴκοσι τέτταρα ἔτη πολεμήσαντες οἱ Ῥωμαῖοι Καρχηδονίους — πρὸς ἀλλήλους διελύθησαν* et XXV 2 *οἱ Καρχηδόνιοι περὶ τῆς Σικελίας μεγάλους ἀγῶνας καὶ κινδύνους ὑπομείναντες καὶ πρὸς Ῥωμαίους εἴκοσι τέσσαρα ἔτη συνεχῶς διαπολεμήσαντες — ἐπειράθησαν.*

Bellum igitur, cuius initium ponit Diodorus ab App. Claudii anno consulari (cf. fr. XXIII 1) geritur ab anno 490 usque ad annum 513, quo de numero si quindecim — namque quindecim annos Romanos dicit dimicasse post Reguli cladem — deduxerimus, venimus ad anni 499 initium, quo anno clades accepta est secundum fastos triumphales.

Etiam Zonaras Libycam pugnam tribuit ineunti anno 499. Nam eam aliquanto post mensem anni 498 Novembrem commissam esse efficitur e VIII 13 P I 390 D *χειμῶνος δὲ ἐπιγενομένου Μάλλιος μὲν εἰς Ῥώμην σὺν τῇ λείᾳ ἀπέπλευσε, Ῥηγοῦλος δ' ἐν τῇ Λιβύῃ ὑπέμεινε,* et e rebus, quas deinde describit. Accuratius tempus definitur P I 392 B, ubi cladis nuntio Romam allato inde profectos esse M. Aemilium Ser. Fulvium coss. anni 499 traditur.

Restat, ut quaeramus, quae e Polybii narratione de huius cladis tempore concludi possint. Ineunte aestate a. 498 Romanos classe instructa atque ornata dicit venisse in Siciliam, ubi ad Ecnomum montem proelio superaverunt Carthaginienses.

Qua victoria relata M. Atilius L. Manlius coss. transgrediuntur in Africam, unde iussu senatus L. Manlius redit Romam mense Novembri. Haud multo post M. Atilius cum Carthaginienses cognovisset iam desperare de rebus suis, misit ad eos, qui pacem deferrent, quod bellum componere studebat, priusquam adveniret successor (c. 31, 4).

Quae nemo non videt facta esse anno consulari ferme exacto.

Sed pacis condiciones non convenerunt, quod duriores erant quam quas possent accipere Carthaginienses. Gratissimo autem fortunae beneficio eis contigit, ut Romanos paulo post prorsus vincerent. Nam Carthaginienses detulerant summam imperii ad Xanthippum Lacedaemonium, quem conquisitor e Graecia adduxerat. Huius auspiciis tanta facta est rerum commutatio, ut non solum Romani vincerentur, verum etiam caperetur eorum consul.

Sed ut melius perspiciatur, qua ratione Polybius consentiat cum ceteris rerum scriptoribus narrationi mihi inserenda sunt, quae ille profert ad cladis tempus accuratius definiendum.

Ac Xanthippum quidem eodem fere tempore, quo agebatur de pacis condicionibus, advenisse scriptor ipse dicit (c. 32, 1). Qui postquam illum narravit perspexisse Carthaginiensium condicionem amicisque aperuisse veram calamitatis causam sic pergit c. 32, 3 *ταχὺ δὲ διὰ τὴν περίστασιν τῶν τοῦ Ξανθίππου λόγων διαδοθέντων εἰς τὰ πλήθη καὶ τοὺς στρατηγούς, ἔγνωσαν οἱ προεστῶτες ἀνακαλεῖσθαι καὶ πεῖραν αὐτοῦ λαμβάνειν.*

c. 32, 5 *οἱ δὲ στρατηγοὶ δεξάμενοι τὰ λεγόμενα καὶ πεισθέντες αὐτῷ παραχρῆμα τὰς δυνάμεις ἐνεχείρισαν.*

Milites autem ipsos tanto narrat inflammatos fuisse pugnandi ardore, ut quam celerrime congredi cum hostibus contenderent (c. 32, 7 *ὥστε μετὰ κραυγῆς ἐπισημαίνεσθαι τοὺς πολλοὺς καὶ σπεύδειν ὡς τάχιστα συμβαλεῖν τοῖς πολεμίοις*). Carthaginienses igitur paucis diebus post (c. 32, 8 *μετ᾽ ὀλίγας ἡμέρας*) castra movisse cum in conspectum venissent Romanorum et eos secundo die pugna vicisse (c. 33, 3 *τῇ δὲ κατὰ πόδας*).

Neque tamen concludendum est paucos tantum dies inter-

cessisse inter illud quo agebatur de pacis condicionibus tempus et pugnam ipsam. Nam semper erit considerandum Polybium in brevissima huius belli narratione non eadem, qua in ceteris libris utitur diligentia, singulas res exponere. Quae quam sint vera luculentissime docent sequentia. Nam priusquam anni 499 res incipiat enarrare, Carthaginienses commemorat post victoriam obsedisse Clupeae reliquos Romanorum manipulos, partim instruxisse partim aedificasse classem. Quae omnia ut anno 498 tribuantur fieri non posse primo statim obtutu unusquisque videt. Itaque Polybii quoque narratio non pugnat cum fastorum triumphalium memoria.

Iam exponamus

Quo tempore Caecilius Metellus victoriam ad Panormum a Carthaginiensibus reportaverit.

Etiam hac in quaestione ut a certis ordiamur proficiscimur a fastis triumphalibus, qui tradunt haec.

L. Caecilius L. f. C. n. Metellus Pro. Cos. a. DIII
de Poenis VII. Idus Sept.

Mense igitur Septembri anni Romani 504 vel Quinctili anni naturalis triumphum egit Caecilius Metellus procos. Qui cum Romae esse posset, ut Fraenkelius (l. c. p. 16) recte dicit, quadraginta fere diebus post victoriam, illam efficitur reportatam esse mense Iunio. Quo cum tempore quemadmodum consentiant scriptores videamus.

Et Polybius quidem prorsus congruit cum fastis triumphalibus, ut elucet ex ipsius verbis c. 40, 1 *ὁ δὲ προεστὼς τῶν Καρχηδονίων Ἀσδρούβας — πυθόμενος τὸν μὲν ἕνα τῶν στρατηγῶν μετὰ τῆς ἡμισείας δυνάμεως εἰς τὴν Ἰταλίαν ἀπηλλάχθαι, τὸν δὲ Καικίλιον ἐν τῷ Πανόρμῳ διατρίβειν τὸ λοιπὸν μέρος ἔχοντα τῆς στρατιᾶς.*

Nam L. Caecilius proconsul fuisse putandus est, quod in antecedentibus C. Atilium L. Manlium Polybius (c. 39, 15) narrat creatos esse consules anni 504. Pugna ipsa dicitur (c. 40, 1) fuisse messis tempore vel mense Iunio (cf. Fraenkel l. c. p. 126). Polybii igitur verbis probatur hanc victoriam reportatam esse mense Iunio anni 504.

Nil faciunt hanc ad quaestionem, quae Zonaras praebet.

cf. VIII 14 P I 393 B *καὶ ἕως μὲν ἄμφω παρῆσαν οἱ ὕπατοι Καικίλιος Μέτελλος καὶ Γάιος Φούριος Καρχηδόνιοι ἠρέμουν. ὡς δὲ πρὸς τὴν Ῥώμην ἀπῆρεν ὁ Φούριος κατεφρόνησαν τοῦ Μετέλλου καὶ πρὸς τὸν Πάνορμον ἦλθον.*

Neque quidquam lucri facimus e Diodoro, qui tradit haec fr. XXIII 21 *ἐπιπεσόντος Καικιλίου τοῦ ὑπάτου αὐτοῖς κατὰ κράτος αὐτοὺς νικήσας καὶ τῶν ἐλεφάντων ἑξήκοντα κρατήσας εἰς Ῥώμην ἀπέστειλε.*

Verbis enim *Καικιλίου τοῦ ὑπάτου* cave ne nimium tribuas, quod loco supra laudato Polybius ipse opponit *τὸν μὲν ἕνα τῶν στρατηγῶν* verbis *τὸν δὲ Καικίλιον*, qua re illum fuisse proconsulem, quod iam demonstravimus, non negatur. Vocabulo *στρατηγὸς* consulem significari cognoscitur e c. 39, 8. 15 c. 49, 3 c. 59, 8, ubi consulibus singulis annis praemissis Polybius indit illud nomen. Diodori autem verba si quis urget pugna incidit in Caecilii Metelli consulatum.

Idem tradunt qui ad Livium redeunt scriptores: cf. Eutropium II 24 'L. Caecilio Metello C. Furio Placido (p. 39) consulibus Metellus — Afrorum ducem — superavit' et Orosium IV 9, 4 'L. Caecilio Metello C. Furio Placido consulibus Hasdrubal novus Carthaginiensium imperator — venit ex Africa et continuo cum Metello consule apud Panormum pugnam conseruit'.

Sed haec inter Polybium et Livium dissensio quodammodo tollitur, quia in utriusque narratione pugna tribuitur belli anno quarto decimo, qui exaequatur a Polybio cum a. 504, in fastis contra cum a. 503.

Eadem ratione conveniunt cum Polybio, quae apud Diodorum leguntur fr. XXIV 14 *εἴκοσι τέσσαρα ἔτη πολεμήσαντες οἱ Ῥωμαῖοι Καρχηδονίους. Λιλύβαιον δὲ δεκαετῆ χρόνον πολιορκήσαντες πρὸς ἀλλήλους διελύθησαν,* unde hanc obsidionem apparet coepisse decem annis ante belli finem vel anno 504. Quem eundem exhibet Polybius c. 41, 3 *ἔτος δ' ἦν τῷ πολέμῳ τεσσαρεςκαιδέκατον. καθορμισθέντες δὲ πρὸς τὸ Λιλύβαιον — ἐνεχείρουν πολιορκεῖν, ὅτι κρατήσαντες ταύτης μεταβιβάσουσι τὸν πόλεμον εἰς τὴν Λιβύην,* nam ei annum 504 belli quartum decimum esse iam vidimus.

Venio ad

Pugnae ad insulas Aegates commissae tempus accuratius definiendum.

Fasti triumphales tradunt haec

C. Lutatius C. f. C. n. Catulus Procos. a. DXII
de Poenis e Sicilia navalem egit IIII. Non. Oct.

Ex eis Lutatium Catulum sequitur triumphasse proconsulem anni 513 mense Octobri vel Sextili anni naturalis.

Quod vero per maius temporis spatium sine dubio Lutatius cum Barca egit de pacis condicionibus, pugnam ipsam incidisse in anni 512 extremam partem veri est simillimum.

Quod confirmatur Eutropii loco II 27, ubi traditur pugnatum esse VI Idus Martias i. e. mense Ianuario anni Iuliani.

Diodorus fr. XXIV 11 quae exhibet, nil faciunt hanc ad quaestionem.

Apud Polybium (c. 59, 8—61, 8) pugnae tempus ratiocinando assequimur. Etenim Lutatius Catulus profectus in Siciliam *ἀρχομένης τῆς θερείας* et Lilybaei et Drepanorum portubus occupatis ad hoc oppidum ipsum obsidendum omnia dicitur praeparasse militesque exercuisse ad pugnam navalem committendam. Carthaginienses autem naves instruxisse, quae Hannone duce Hamilcari auxilio venirent. Qui cum ad Hieram insulam congressus esset cum Lutatio, ab eo magna clade affectum esse.

Haec Polybii narratio bene conciliari potest cum tempore, quod e fastorum triumphalium testimonio elicuimus, dummodo Drepanorum et Lilybaei obsidionibus aliquod tempus consumptum esse arbitremur.

Restat ut

de belli Punici primi exitu

dicam.

In Polybii narratione bello viginti quattuor annos tribui iam vidimus: cf. c. 63, 4 *ὁ περὶ Σικελίας πόλεμος ἐπὶ τοιούτοις καὶ τοιοῦτον ἔσχε τὸ τέλος ἔτη πολεμηθεὶς εἴκοσι καὶ τέσσαρα συνεχῶς.*

Quem eundem numerum exhibet Diodorus: cf. fr. XXIV 14, XXV 2 et Appianus *ἐκ τῆς Σικελικῆς* I p. 57, 25 Mend. *ὁ μὲν δὴ*

πρῶτος περὶ Σικελίας Ῥωμαίοις καὶ Καρχηδονίοις πόλεμος ἔτεσιν εἴκοσι καὶ τέσσαρσιν αὐτοῖς γενόμενος ἐς τοῦτο ἐτελεύτα.

Quod idem Appianus alio loco dicit Libyc. c. 2 I p. 196, 14 Mend. *ἑπτακοσίοις δ' αὐτοὺς ἔτεσιν ἀπὸ τοῦ συνοικισμοῦ Ῥωμαῖοι Σικελίαν ἀφείλοντο*, hoc nihil valet. Nam plane eadem iactat bello Punico secundo extremo: cf. Libyc. c. 51 I p. 235, 23 Mend. *οἵα καὶ ἡ Καρχηδονίων πόλις ἡ τῆς Λιβύης μεγίστη καὶ δυνατωτάτη ναυσὶ καὶ χρήμασιν ὁμοῦ καὶ ἐλέφασι καὶ στρατῷ πεζῷ τε καὶ ἱππικῷ καὶ ὑπηκόοις πολλοῖς ἑπτακοσίοις ἔτεσιν ἀνθήσασα.* Et ut Meltzerus l. i. l. optime monuit tertium idem repetit, ubi describitur belli Punici tertii finis: cf. Libyc. c. 132 I p. 139, 5 Mend. *ὁ δὲ Σκιπίων πόλιν ὁρῶν ἑπτακοσίοις ἔτεσιν ἀνθήσασαν ἀπὸ τοῦ συνοικισμοῦ*, unde etiam perspicitur, quo ex fonte haec manaverint. Nimirum debet illa verba Polybio, qui bello Punico tertio extremo Carthaginem monet inde ab anno quo est condita per septingentos floruisse annos. Quanta autem socordia neglegentiaque ille hoc fonte[1]) usus sit nemo non videt.

Denique testis est Zonaras qui tradit haec: cf. VIII 17 P I 399 A *ὁ μὲν οὖν πρῶτος τοῖς Καρχηδονίοις πόλεμος τοῖς Ῥωμαίοις εἰς τοῦτο κατέληξε τετάρτῳ ἔτει καὶ εἰκοστῷ.*

Ex omnium igitur illorum narratione bellum videmus ad finem venisse anno 513.

Sed qui ad Livium redeunt scriptores annum 512 pro ultimo belli habent. Quod luculenter cognoscitur ex Eutropio II 27 'C. Lutatio Catulo Aulo Postumio Albino coss. anno belli Punici vicesimo et tertio Catullo bellum contra Afros commissum est' et III 1 'finito igitur Punico bello, quod per XXIII annos tractatum est.'

Neque minus aperte dicit Orosius IV 11, 4 'quis rogo

---

[1]) Polybii annum 846 (146 + 700) Meltzerus in libro cui inscribitur, 'Geschichte der Carthager' I p. 461, 108 sq. recte docet redire ad Timaeum, qui Carthaginem computavit esse conditam anno ante primam olympiadem tricesimo octavo (cf. Dionys. arch. I 74 p. 187). Discrimen autem triginta duorum annorum, quod intercedit inter utriusque auctoris testimonium, non movet suspiciones; nam obiter tantum non accuratius hic Polybius commemorat, quando condita sit Carthago.

duarum civitatum unum bellum per annos tres et viginti gestum fando explicet', et paulo ante 'huius pacis conditio habita est post annum tertium et vicesimum, ex quo bellum Punicum primum fuerat inchoatum.'

Nec iudicium labefactatur ipsius verbis IV 11, 5 'anno ab urbe condita DVII repentina subversio ipsius Romae praevenit triumphum Romanorum — si quidem Q. Lutatio Catulo A. Manlio consulibus diversae ignium aquarumque clades paene absumpsere urbem'.

Lutatium enim Catulum consulem perverse tribuit Orosius anno 513, quem errorem iam in Livii epitoma fuisse admissum ex Cassiodoro cognoscitur. Neque igitur numerus 507 ullam praebet offensionem, quippe quo significetur vicesimus quartus belli annus, quod Orosio auctore incipit ab anno 483 (CDLXXXIII). Atque numerum mendosum CDLXXXIII pro genuino CDLXXXVII[1]) qui nititur Livii auctoritate ex Livii epitoma fluxisse in Orosium verisimile videtur. Quod autem Orosius hic in computando exclusit illum a quo computatur terminum, cum aliis locis utrumque includat terminum, facile explicatur, si hic propriam adhibuisse computandi rationem, illic fontem secutum esse Orosium statuimus.

[1]) Quam facile numeri V et I inter se permutentur scribarum neglegentia, ex Velleio Paterculo licet cognoscere I 15, 4 'Cassio autem Longino et Sextio Calvino, qui Sallues apud aquas, quae ab eo Sextiae appellantur, devicit, consulibus Fabrateria deducta est abhinc annos ferme centum quinquaginta tris', ubi apographum Amerbachii, editio princeps Basileensis habent CLVII, quem numerum Krausius recte emendavit.

Epimetrum I.

De Polybii computandi ratione.

Polybius qua ratione usus sit in temporum spatiis numeris vel ordinalibus vel cardinalibus exprimendis haud pauci viri docti quaesiverunt. Docet Ungerus[1]) eum computasse ab eventu usque ad eventum, ut ita dicam, quod non probatum esse videtur Niesio[2]). Nam solos annos in computando respici a Polybio censet, quod placuit etiam Mommsenio[3]), Holzapfelio[4]), Matzatio[5]).

Numeri ordinales si a Polybio adhibentur 'terminum ad quem'[6]) adnumerari satis constat, 'terminus a quo'[6]) utrum sit omittendus necne nondum est diiudicatum. Nam eum addunt Mommsenius[7]) et Matzatius[8]), neglegunt Niesius[9]) et Holzapfelius[10]).

Quodsi perlustremus numeros ordinales, quos Polybius hic illic descriptioni inseruit ad belli Punici primi res gestas accuratius definiendas, rariores sunt, quam ut certam ex eis liceat cognoscere legem. Nam duo tantum inveniuntur exempla[11]), de quibus iam supra (p. 34, 36) diximus.

Numeris autem cardinalibus ubi utuntur veteres, semper excludunt[12]) vel terminum a quo vel utrumque terminum. Qua in re apud Polybium Mommsenius[13]) recte monet nondum observatum esse certum usum.

---

[1]) Herm. vol. XIV p. 77 sq. *Roem.-griech. Synchronismen vor Pyrrhus*; cf. *Münch. Akad. Sitz.-Ber.* 1876 p. 551 sq.

[2]) Herm. XIII p. 410 sq.

[3]) et [5]) apparet e computandi ratione.

[4]) *Chronol.* p. 201.

[6]) ut brevitatis causa hac formula uti mihi liceat.

[7]) *Roem. Forsch.* II 357 sq.

[8]) *Chronol.* I p. 106.

[9]) Herm. XIII p. 404, 405, 407.

[10]) *Chronol.* p. 202.

[11]) c. 41, 3 c. 56, 1. 2.

[12]) Holzapfel, *Chronol.* p. 207.

[13]) *Roem. Forsch.* p. 365.

Quibus in numeris adhibendis non adeo frequens est ille rerum scriptor, namque tres tantum praebet huiusmodi computationes hac quidem in parte.

Utrumque terminum neglegi non erat difficile ad cognoscendum c. 39, 11.

Pergo ad alterum locum c. 56, 2. 3 supra (p. 36) iam commemoratum, quo Hamilcar Barcas narratur creatus esse dux Poenorum belli anno duodevicesimo. Qui cum destitisset ab Italiae regionibus vastandis expugnato loco quem vocarent *ἐπὶ ταῖς Εἱρκταῖς*, inde proeliis certasse cum Romanis per annos fere tres (c. 56, 11 *σχεδὸν ἐπὶ τρεῖς ἐνιαυτούς*). Neque Eryce oppido capto confecisse bellum, ubi pugnasset duos rursus annos (c. 58, 6 *καίπερ δύο ἔτη πάλιν ἐν τούτῳ τῷ τόπῳ διαγωνισαμένους*). Finis factus est illis proeliis cum Lutatius Catulus cos. a Poenis reportavit victoriam ad Aegates insulas anno 512, quam antecessit loci *ἐπὶ ταῖς Εἱρκταῖς* expugnatio eodem anno, quo Hamilcarem ducem factum esse e c. 56, 1—3 apparet, vel duodevicesimo belli i. e. anno 507. Inde apparet terminum a quo excludi.

Tertium exemplum subministrat caput 59.

Proeliis ad Erycem oppidum in dies redintegratis Romani cum bellandi finem nondum fieri intellexissent rursus classem construere statuerunt, ut bellum conficerent (c. 59, 1) *καίπερ ἔτη σχεδὸν ἤδη πέντε τῶν κατὰ θάλατταν πραγμάτων ὁλοσχερῶς ἀφεστηκότες διὰ τὰς περιπετείας.*

Quae quando sint facta non recte exponitur sequentibus, c. 59, 4 *τὸ δὲ δεύτερον (ἐξεχώρησαν τῆς θαλάσσης) ἐλαττωθέντες τῇ περὶ τὰ Δρέπανα ναυμαχίᾳ. τότε δὲ τρίτην ἐποιοῦντο ταύτην τὴν ἐμβολήν, δι' ἧς νικήσαντες — τέλος ἐπέθηκαν τοῖς ὅλοις.*

Nam etsi in pugna ad Drepanam commissa 93 amiserant Romani e 123 navibus, tamen novas sexaginta dederant Iunio, cuius classis dicitur fuisse centum viginti navium longarum, octingentarum onerariarum. Sed hac demum classe tempestate prorsus deleta Romani mare fugerunt L. Iunio cos.: cf. c. 55, 1 *τούτου δὲ συμβάντος — οἱ Ῥωμαῖοι πρότερον*

μὲν ἐπὶ ποσὸν ἠτυχηκότες, τότε δ' ὁλοσχερῶς, ἐκ μὲν τῆς θαλάσσης ἐξέβησαν, τῶν δ' ὑπαίθρων ἐπεκράτουν.

Ante C. autem Lutatii Catuli consulatum Romanos denuo aedificasse naves concluditur e c. 59, 8 *τῷ δὲ τοιούτῳ τρόπῳ* (pecuniis privatis, non publicis) *ταχέως ἑτοιμασθέντων διακοσίων πλοίων πεντηρικῶν, ὧν ἐποιήσαντο τὴν ναυπηγίαν πρὸς τὴν τοῦ Ῥοδίου ναῦν, μετὰ ταῦτα στρατηγὸν καταστήσαντες Γάιον Λυτάτιον ἐξέπεμψαν.*

In verbis *μετὰ ταῦτα* per se sane non inest accurata temporis definitio. Sed classem celeriter constructam atque exornatam statim ex portu esse eductam quovis pignore adfirmaverim. Quod cum factum sit Lutatio cos., admodum probabile est antecedenti anno 511 eam esse aedificatam.

Cum igitur quinque annorum spatium terminetur annis 505 (p. 36) et 511 ipsos terminos neglegi hic a Polybio apparet.

Ex his exemplis Polybium non secutum esse certam normam cognoscitur.

Epimetrum II.

De Plinii aera, quatenus cognoscitur e belli Punici primi memoria.

Nat. hist. XXXV 4, 22 haec tradit Plinius: 'dignatio autem principua Romae increvit, ut existimo a M'Valerio Maximo Messala, qui princeps tabulam pictam proelii quo Carthaginienses et Hieronem in Sicilia vicerat proposuit in latere curiae Hostiliae anno ab urbe condita CCCCLXXX'.

Hoc igitur loco Plinius sequitur aeram Catonianam. Nec aliam adhibet nat. hist. VIII 6, 16: 'eadem (Roma vidit) plurimos anno DII victoria L. Metelli pontificis in Sicilia de Poenis captos', ubi cum Livio victoriam tribuit Metelli anno consulari.

Accuratius tempus et numeris et verbis indicatur nat. hist. VII 214: 'M. Varro primum horologium statutum in publico secundum Rostra in columna tradit bello Punico primo

a M'Valerio Messala cos. Catina capta in Sicilia deportatum inde post XXX annos quam de Papiriano horologio traditur anno urbis CCCCLXXVII'.

Cum quod valde dolendum numerus CCCCLXXVII scribarum neglegentia sit corruptus, nil efficitur verbis, quamquam singula facta hoc loco commemorata certis annis tribuere possumus.

Quo enim tempore statutum sit horologium concludere licet e paragrapho antecedenti 'princeps Romanis solarium horologium statuisse ante undecim annos quam cum Pyrrho bellatum est ad aedem Quirini L. Papirius Cursor — a Fabio Vestali proditur'. Quod bellum coepisse a. 472 ipse docet nat. hist. VIII 16 'elephantos Italia primum vidit Pyrrhi regis bello et boves Lucas appellavit in Lucanis visos anno urbis CCCCLXXII'. Quodsi computatur 472—11+30 efficitur a. 491, qui num accipiendus sit, propter numerum mendosum CCCCLXXVII non potest cognosci.

Vita.

Brunniae natus sum Fridericus Iulius Oscarus Seipt anno h. s. LXI patre Iulio bibliopola, matre Aemilia. Qua mihi vix tertium aetatis annum agenti morte immatura praerepta veni Lipsiam, ubi litterarum elementis imbutus scholam Thomanam percurri. Vere anni LXXXII maturitatis adeptus testimonium patre lugubri fato mihi erepto litterarum universitatem Lipsiensem adii, ut in studia philologica et historica incumberem.

Per novem semestria scholas frequentari virorum amplissimorum Brugmanni, Curtii, Crusii, Ecksteinii, Heinzii, Hirzelii, Holzapfelii, Langii, Lipsii, Maurenbrecheri, E. Meyeri, Ribbeckii, Richteri, Struempellii, Voigtii, Wachsmuthii, Wenckii, Zarnckii. Per duos annos proseminarii regii philologici sodalis Ribbeckii Langii benevolentia factum est, ut reciperer in seminarium regium philologicum. Sodalis interfui societati philologae Ribbeckii, societatibus historicis antiquariis et Langii et Wachsmuthii per binos annos. Praeterea frequentavi seminarium regium paedagogicum Ecksteinii et Richteri, historicum rectore Meyero, germanicum praeside Zarnckio.

His omnibus viris illustrissimis imprimis Lipsio, Ribbeckio, Wachsmuthio grates ago quam maximas.